



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

Liber Nonus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

INSTITVTIONVM
MORALIVM
PARTIS TERTIÆ
LIBER NONVS.
DE SOCIETATIBVS
& mandato.



VM soleant duo, pluresve societatem coire, vel omnium bonorum, vel artis, quam vnus exercet, vel officij, quo fungitur, vel animalium, quæ custodit, & pascit, vel vectigalium, quæ auctoritate Principis exigit, vel alicuius alterius rei, in qua versatur, & seipsam exercet: idè de huiusmodi societatibus singulatim differendum est.

In Digestis lib. 17. extat titulus 2. qui inscribitur *Pro socio*. In Codice lib. 4. titulus 27. inscribitur etiam *Pro socio*. In Institutionibus lib. 3. titulus 26. est *De societate*. S. Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 5. pauca quædam attingit de huiusmodi contractu. Plura S. Bernardinus par. 2. serm. 39. art. 2. cap. 3. & serm. 40. art. 1. & 2. Astenfis in *Summa* par. 1. lib. 3. tit. 12. Conradus de *Contractibus* à quæst. 92. vsq. ad quæst. 97. Gabriel in 4. dist. 13. quæst. 11. art. 3. dub. 10. Maior cod. lib. & dist. à quæst. 46. vsq. ad 49. S. Antoninus 2. par. tit. 1. cap. 7. §. 37. & seq. Baldus quoque, Cynus, Paulus, Salicetus, & alij Iuris ciuilis interpretes, partim in l. 1. & l. Cum duobus. ff. *Pro socio*. partim in l. 1. C. *Pro socio*. Petrus Perusinus in tract. de *Duobus fratribus*, Angelus in tract. de *Societatibus*, Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, & Panormitanus in cap. *Inter vestras*, de *Donat. inter vir. & vxor.* & alij Iuris Canonici Doctores cum Glossa in cap. *Pleriq.* 14. quæst. 3. Summistæ itidem, videlicet Angelus, Rosella, Pisanella, Siluester, Armilla, & Caietanus in verbo *Societas*, & in verbo *Peculium*. Tabienfis in verb. *Vsur* a 3. Caietanus itidem in *Opusculis* tom. 1. tract. 31. cap. 11. Sotus lib. 6. de *Iust. & iure* quæst. 6. Nauarr. in *Manual.* cap. 17. num. 251. & seqq. & in *Comment. de Vsur.* num. 32. & seqq. Couarr. lib. 3. *Variarum resolutionum* cap. 2. Franciscus cognomento de *Porcellinis* in tract. de *Duobus fratribus*.

Societas quotuplex sit.

CAPVT I.



PRIMO quaeritur, Quotuplex Societas sit? Respondeo, inter societates vsitatas, & frequentes esse quadruplicem, vel quintuplicem societatem. Alia est enim omnium bonorum. l. 1. ff. *Pro socio*. Alia negotiationis, cū duo, vel plures ex negotiatione questum, & lucrum acquirunt sibi. Alia artis, cum vnus ex socijs artem exercet, & lucra, & damna, & impensas habet cum socio communes. Alia est officij, cum quis officio fungitur, & alios sibi socios adsciscit, cum quibus communicat fructus, quos ex officio percipit. Alia est animalium, vel minorum, qualia sunt greges ouium, caprarum, vel porcorum: vel maiorum, qualia sunt armenta bouum, vel equorum. Alia est vectigalium, cum duo, vel plures publica vectigalia emunt,

sive conducunt, & communiter impensas faciunt in soluenda pecunia pro vectigalibus.

Primo loco agemus de societate quaestiosa, quæ in negotiatione consistit.

Secundo quaeritur, Quid sit societas negotiationis? Respondeo, sic eam defini à plerisque: Societas est duorum, pluriumve conuentio voluntate contrahenda societatis honestæ ex pecunijs, opera, industria, & bonis singulorum inter ipsos communibus, ad vberiore[m] quaestum, & commodiorem vsum. Hæc definitio colligi potest ex toto titulo Digestorum, & Codicis *Pro socio*, & ex titulo Institutionū de *societate*: sed verba ipsa definitionis ponderemus.

Dicitur (Duorum, vel plurium,) quoniam vnus solus societatem non facit. (Voluntate contrahenda societatis,) quoniam si absit huiusmodi voluntas, societas minime censetur. Vt si vna res duobus legata sit, vel pluribus hæreditas, aut donatio cōmuniter obuenerit, vel si à duobus cōmuniter res eadem empta fuerit, nō contrahitur iure sociæ.

tas, neque conuenit vni eorum actio, quae in iure ciuili dicitur Pro socio, sed actio familiae hereditaria, vel actio sic dicta. De communi diuidendo iudicium. *l. vi. ff. de l. Quibus casibus. ff. Pro socio.* (Honestas) quoniam malorum nulla societas rite, ac iure conflat. *l. Nec permittendum. ff. Pro socio.* Quod autem ex furtis. *ff. Pro socio.* vt si duo conueniunt de lucro ex furto, vel alio maleficio communicando (Ex pecunijs, opera, industria, vel bonis.) Nam si neque pecuniam, neque operam, neque industriam in commune contuleris, & tamen Titius te facit participem lucri ex negotiatione comparati, nullam societatem tecum Titius inuit, sed donat tibi lucrum. *l. Societas, ad finem. ff. Pro socio.* vt si Titius Caio dicat: Tecum societatem facio, & tamen tu nihil in commune conferas, donatio est, non societas conflat. (Ad vberorem quatuor) quoniam qui simul habitant in vna, & eadem domo, socij quidem latè, & ample dicuntur, sed societatem tamen illi non coierunt.

Tertio quaeritur, Quot modis societas iniri queat? Respondeo, multis modis. Nam potest contrahi, aut ad certum tempus, videlicet, ad tres, vel quinque annos; ad sex, vel plures menses: aut ad tempus incertum, nempe ad vitam vnus ex socijs, vel alicuius alterius. Potest etiam quis societatem cum alio facere per nuncium, vel literas. *l. i. ff. Pro socio.* Contrahitur itidem societas solo consensu, vel nutibus, aut signis expressis, hoc est, absque vlla syngrapha, vel instrumento, & absque testibus, traditione rei, vel aliqua alia solemniori formula. *Instit. de Oblig. ex consensu. §. consensu.* Item, quando duo, pluresque coeunt societatem quaestuosam, id fit multiplex: Aut enim singuli in commune conferunt aequè pecuniam, operam, & industriam: Aut vnus pecuniam ponit, alius operam, alius industriam: Aut vnus pecuniam collocat, alius vero industriam, operam, & laborem. *l. c. Pro socio. l. Societas. ff. Pro socio. Instit. de Societate. §. Deinde.* Nam aliquando opera vnus est ad eodè pretiola, vt suppetat quantum patrimonij, siue pecuniae alter socius in commune contulit.

Quot, & quae leges, ac conditiones in societate negotiationis requirantur.

CAPVT II.

PRIMO quaeritur, Quas condiciones societas postulet? Respondeo, tres: quarum prima est, vt negotiatio, in qua est societas contracta, honesta sit. *l. Quod autem ex furto. l. Quod enim. l. Nec permittendum. ff. Pro socio. c. cap. Per nostras, de Donat. inter vir. & uxor.* Secunda, vt in omnibus inter socios seruetur aequalitas, nimirum, vt eorum sine communes impensae, lucri, & damna; ita vt quilibet pro rata portione, quam in commune confert, lucrum reportet, & damnum sustineat, & impensas faciat. *l. Cum duobus. §. Damna. c. l. Si non fuerint. ff. Pro socio.* Tertia, vt pecunia, quam vnus ex socijs in commune collocat, sit periculo expolita, hoc est: Si casu fortuito perierit, damnum sit eius, qui eam in commune contulit. *S. Thom. 2. 2. quaest. 78. art. 2. ad 3.* Ratio huius est, quia pecunia collocata in commune, quod ad dominium spectat, non transit in societatem, sed est eius, qui eam in commune posuit, & ideo cum perit, ipsi, non socio perit. Ex his conuenit, vt, is, qui pecuniam collocat in commune, non possit, quamdiu societas permanet, extrahere ad suos vnus, quoniam, est eius dominium habet, vsu tamen, manente societate, communem eum socio fecit.

Secundo quaeritur, quae ex culpa socij teneantur? Respondeo, eos teneri ex dolo, lata, & leui culpa. *Instit. de Societate. §. Socius socio. c. l. Cum duobus. §. Venit, c. l. Socius socio. ff. Pro socio.* Nam huiusmodi contractus est in bonum, & commodum vtriusque socij, & in contractu, qui fit gratia vtriusque, soluendum est damnum, quod prouenit ex

Instit. Moral. Pars 3.

dolo, lata, & leui culpa. *l. Contractus. ff. de Regul. iuris. c. l. Si vt certo. §. Nunc videndum. ff. commodati.* Vnde socius de furto quoque tenebitur, quia custodiam, & curam adhibere debet, ne quis bona societatis furetur. *l. Cum duobus. ff. Pro socio.* & culpa eius furtum commissum esse creditur, qui rem tam negligenter custodiu, vt furti potuerit. *Bartholus in l. Cum duobus. ff. Damna. ff. Pro socio.* Item, si pecuniam communè infideli seruo, famulo, vel ministro perferendam ad socium, vel si negligentia sua amisit, de culpa tenetur: socij vero non tenentur ex culpa leuissima, vt colligitur ex Legibus praedictis. *l. Socius socio. ff. Pro socio. c. Instit. de societate. §. Socius socio:* nisi expresse ad id sese obligauerint. Ex quo fit, vt socius non teneatur ex damno, quod casu fortuito contigit. *l. Cum duobus. §. Damna. ff. Pro socio.* Sed quantum diligentiam, & curam in rem communem debeat socius adhibere ad leuem culpam euitandam? Respondeo, tantam, quantum ponere solet in rebus proprijs. *l. Socius socio. ff. Pro socio. c. Instit. de Societate. §. Socius socio.* Obijcies, in rebus proprijs quisque solet exactissimam diligentiam collocare, ergo debet socius in rem communem tantam conferre diligentiam; & proinde tenebitur ex culpa leuissima. Respondeo, in iudicio exigi, vt socius eam diligentiam praestet, quam solet in suis rebus adhibere, vt patet ex legibus modo citatis, & proinde etiam secundum conscientiam sufficit si rem communem ita custodiat, & tractet, ne pereat, aut deterior fiat culpa ipsius lata, vel leui, & nihil amplius praestare naturali, aut scripto iure compellitur.

De principali pecunia, quam socij in commune conferunt, vt lucrum inde proueniat.

CAPVT III.

SOLENT Auctores summam, siue primam pecuniam, quae à principio in societatem affertur, vt iude lucrum fiat, sortem principalem, siue capitale appellare, quia reuera est id praecipuum, quod ad societatem deducitur, vt quantum pariat: & ex eo lucrum socij comparant, velut ex principio, & origine: vnde opera, vel industria, quam vnus ex socijs collocat, non censetur fors, quia non à principio ea in commune confertur, vt fructum reddat, sed à principio vsque ad finem temporibus debitis adhibetur.

Primo quaeritur, An finita societate, principalis pecunia salua manens, pertineat tota ad eum, qui contulit in commune, an vero sit diuidenda, ita vt pars cedat ei, qui solam operam, vel industriam posuit? Duae sunt opiniones: vna est, eam pecuniam fieri communem, ac proinde finita societate partem eius pertinere ad alterum socium. *Glossa in l. c. Pro socio.* ait, Principalem pecuniam esse vtrique socio communem ipso iure, & ita dimidiam partem socio debet, qui operam suam, vel industriam collocauit: pacto tamen, vel consuetudine non esse communem: quare si nihil inter se socij paciscantur, consuetudini gentis, vel populi, vel mercatorum standum est; quod si nulla consuetudo sit, ius civile seruari debet. Idem prorsus docet *Conradus de contractibus. quaest. 93. vers. Secundum corollarium, Couarruias libro 3. Variarum resolutionum, cap. 2. num. 2. ad finem;* vbi citat *Petrum Perusinum, in tractat. de Duobus frat. par. 4. q. 2.* Socium *constit. libro 2.* Ratio huius opinionis est, quia si fingamus operam socij tantum valere, quanta est principalis pecunia, tunc perinde est, ac si Titius, & Caius in societatem contulissent pecuniae partes: nam si Caius operam ponit valentem duodecim aureos, & Titius pecuniam affert duodecim aureis aestimata, reuera Caius tantundem conferret in commune, & perinde esset, ac si Titius, & Caius in societate ponerent viginti quatuor aureos, Titius duodecim, & totidem Caius: ergo Titius debet dimidiam suae pecuniae partem, finita societate in Caium conferre. Deinde

li

quia

quia aliqui deterior erit Caij conditio, eo quod si nullum lucrum ex societate proveniret, Caius suam operam, & industriam amitteret, cum tamen Titius suam pecuniam salvam, & integram reperat.

Deinde, quia alias Caius semper plus damni sustinebit, quam Titius: nam etiamsi ex societate lucrum existat, illud erit ex aequo utrique commune; & nihilominus ad Titium redibit salva tota principalis pecunia; & Caius suam perdet operam; cuius tamen aestimatio adaequat summam pecuniae, quam Titius possidet. His accedit, quod in l. 1. ff. Pro socio, in socio omnium honorum, omnes res, quae coeuntium sunt, continuo communicantur.

Alter opinio est, totam principalem pecuniam, si integra permanerit, ad eum iure ipso communi pertinere, qui eam in societatem contulit. Baldus in l. 1. C. Pro socio. num. 1. & ibi Iacobus cognomento de Arena, & Cyprianus ibidem. Angelus in verbo Societas, num. 10. Rosella eodem verbo, & numero. Pisanella in eodem verbo, versu. Quod si finito tempore Caietanus 2. 2. quae 78. art. 2. ad quintum. Et in Summa in verbo Mercimonialis societas. Socus lib. 6. de Iustitia quae 6. art. 1. ad primum. Situellet in verbo Societas 1. quae 6. Tab. ensi in verbo Vira 3. num. 4. Navarrus in Manuali cap. 17. num. 53. & reuera haec opinio est certissima: eam enim habet S. Thomas in 2. 2. quae 78. art. 2. ad quintum. & S. Bernardus par. 2. sermone 39. art. 2. cap. 3. vers. Secundo quari possit. Nam docet S. Thomas locum esse, principalem pecuniam, quae in societatem conferretur, esse eius, qui eam contulit in commune, & proinde ad ipsum eius periculum, damnumque pertinere: nam cum res perit, suo Domino, non alteri perit: alioqui enim si pecunia fieret eum socio communis, eius dominum ex parte ad socium transiret, ex quo fieret, ut is, qui pecuniam ponit, non posset lucrum ex tota ea pecunia percipere, siquidem partem eius tantum in societatem ponere diceretur. Item, si principalis pecunia periret, totum damnum, sicut etiam periculum est Titij, qui eam contulit in commune: ergo si integra permaneat, tota ad Titium pertinet. Deinde, ut recte argumentatur Baldus, quando animalium societas contrahitur, uno in societatem adducente centum oves, altero suam operam collocante, si salva manserint oves absque ullo fructu, & lucro, finita societate non dividuntur inter socios. Ergo si nihil pecuniae deperit, totum, quod est reliquum, Titij erit, nec cum Caio communicabitur. Tandem Sixtus V. in constit. qua incipit. Detestabilis avaritia, dicit sortem finitae societate, si extat esse reddendam ei, qui in commune contulit.

Ad id vero, quod prima sententia objiciebat, aliquando operam socij tantum aestimari, quanta est pecunia principalis, ergo perinde est, ac si is in commune contulisset tantundem, quantum socius eius. Respondeo, non esse idem iuris, cum Caius operam solum ponit, ac si posuisset pecuniam, quemadmodum Titius: quia cum Titius, & Caius aequales, siue inaequales pecuniae partes afferunt in societatem, ex illis fit semper una fors principalis utrique communis, & proinde periculum, & damnum est pariter utriusque, videlicet Titij, & Caij: at ex opera Caij, & pecunia Titij, non fit semper una fors principalis, quia aliquando fors ipsa communis conflata censetur ex opera unius socij, & ex emolumento, & commodo alterius, quod ex pecunia sua habere potuisset, non ex summa pecuniae alterius socij. Unde sicut Titius pecuniam ponit suo periculo & damno, ac proinde cum integra permanet, eam repetit; sic Caius suam operam, & laborem adhibet suo periculo, & damno. Et quemadmodum Titius, cum pecunia perit, nihil à Caio exigere iure potest, ita etiam cum nihil lucri ex societate provenit, Caius suam operam amittit, quia eam in societatem posuit suo damno, & periculo, & Titius nihil pro ea solvere, aut reddere iure compellitur.

Secundae obiectioni Respondeo, negando, deteriorem esse conditionem Caij, quoniam tantum amittit Titius quantum ipse: non enim habetur ratio pecuniae, quam Titius in societatem attulit, sed emolumenti & commodi,

quod potuit Titius ex sua pecunia percipere, si in societate non posuisset. Quare sicut Caius amittit operam suam, hoc est, tantum, quantum potuisset sua opera lucrificare: sic Titius tantum perdit, quantum posset ex sua pecunia lucrari.

Tertiam obiectionem, ut solvamus; Dicimus in societate omnium honorum, res coeuntium fieri communes, quia singuli, qui coeunt, aequas partes in societatem deducunt, vel singuli quidquid patrimonij habent, in commune conferunt; ac proinde una fors principalis ex singulorum portionibus conflatur; in societate quoque negotiationis, quando sociorum quisque pecuniam ponit, fit una fors principalis socij omnibus communis: at vero uno tantum pecuniam in commune conferente, altero vero operam collocante, fors tantum est pecunia, quam unus a principio in societatem affert: alterius vero opera fors principalis non est, quia non ponitur in societate à principio. Opera enim hominis est diuturnum officium. l. 1. ff. de Oper. libert. c. 1. Fructus ff. de Oper. serv. dicitur; fructus hominis esse operas. Ex quo fit, ut is, qui pecuniam conferat in commune, non communicet eum socio ipsam pecuniam, sed emolumentum, fructum, & commodum pecuniae. Est igitur in hac societate, nisi aliud ex pacto fiat, vel consuetudo habeat, communio pecuniae in commodo, & fructu, non in dominio; sicut etiam is, qui operam, vel industriam adhibet, cum socio communicat fructum, & commodum suae operae, non personam suam.

Secundo quaeritur, An societas contrahi queat eo pacto, ut principalis pecunia sit ita communis cum socio, qui tantum operam, vel industriam ponit, ut finita societate dividatur, si integra manserit, & dimidiam partem sibi retineat is, qui eam in commune detulit, & dimidiam sibi capiat is, qui operam, vel industriam collocavit? Ratio dubitandi est, quia huiusmodi pactum videtur iniquum esse: nam si ita pactum socij, eo ipso dimidia pars pecuniae principalis ad alterum socium pertinebit, & ad eum dominum eius partis transibit: ergo is, qui pecuniam affert in societatem, ex ea parte dimidia lucrum percipere iure non poterit, quia est res alterius. Respondeo, huiusmodi societatem posse nihilominus contrahi. Sic Gloss. in cap. Plurique. 13. quae 3. in verb. Negotiationibus, Bald. in l. 1. C. Pro socio. Conradus de contract. quae 93. vers. Ex illa conclusione. Angelus in verbo Societas, num. 20. Rosella eod. verbo num. 11. & 18. Pisanella eodem verbo num. 1. Situellet eod. verbo 1. quae 6. Navarrus in Manuali cap. 17. num. 53. Attilia verbo Societas num. 10. & quod hic amplius est. Sixtus V. in constitutione, qua incipit. Detestabilis, declarat sortem, esse restituendam, cum extat, soluta societate ei, qui in societatem contulit, nisi fuerit cum socio communicata, aut aliter inter eos conventum.

Haec autem sententia, huiusmodi nititur ratione, quia tale pactum cum natura, & substantia societatis non pugnat, immò est societati consentaneum: sociorum enim bona communicantur. l. 1. ff. Pro socio. Item aliquando contingit, ut industria, vel opera unius tantum conferat societati, quantum pecunia alterius. l. Societas. ff. Pro socio, & Institut. de Societ. §. De illa. Quemadmodum ergo opera, vel industria communicatur, sic etiam potest pecunia fieri communis. Dices, non posse haec duo coalescere, videlicet, principalem pecuniam, si integra maneat, societate finita, absque ullo lucro pertinere ad eum, qui eam contulit in commune, & nihilominus posse pactum apponi, ut ea vni sit cum altero socio communis. Respondeo, haec duo secum inuicem non pugnare; quia quando pecunia principalis non communicatur, ideo est, quia qui eam in commune confert, non communicat eam socio ipsam pecuniam, sed tantum fructum, lucrum, & commodum illius: at quando quis facit eam cum socio communem, non solum facit socium participem commodi, & fructus, sed etiam ipsius pecuniae.

Ad id vero, quod initio dubitabatur, Respondeo cum Conrado de Contractibus, quae 93. & Maiore in 4. dist. 15. quae 1.

que. 48. vers. Secundo arguitur: Quando socius suam pecuniam cum altero communicat, non se abdicat dominio suae pecuniae, sed suum dominium facit cum socio communem, sicut si Titius, & Caius in commune conferrent suas pecunias, facerent eas communes, non quod vnus suae pecuniae dominium deponeret, & ad alterum transferret, sed quod vterque alterum suae pecuniae Dominum facit. Nihil enim pugnat cum rei natura, vt duo aequè vnus, & eiusdem rei sint Domini, & vnus aequè sit seruus duorum Dominorum. Hinc fit, vt Titius, qui pecuniam ponit, iure possit fructum, & lucrum ex tota pecunia percipere, etiam si eam fecerit cum Caio communem; quoniam ita est facta pecunia Caij, vt non desierit esse ipsius Titij; ergo Titius percipit fructum ex sua pecunia, sed sibi cum socio communi.

Sed quid dicendum, quando Titius ponens pecuniam, & Caius operam tantum, vel industriam, nihil expresse pactentur, tunc pecunia communis censetur? Respondeo: communem censeri, si ita consuetudo gentis, vel populi, vel negotiatorum habuerit: nam contrahere iudicantur iuxta consuetudinem vsu receptam, qui contrahunt, dum nihil aliud exponunt. At vero si nulla consuetudo sit, non censetur pecunia communis, cum de hoc illi inter se minime conueniat: nam, vt dixi, fors principalis in huiusmodi societate iure ipso non communicatur, quod attinet ad dominium ipsius, sed solum commune fructuum, emolumentum, & commodum pecuniae.

Tertio quaeritur, An damnum pecuniae principalis sit commune, quando Titius in commune confert pecuniam, & Caius solum operam, vel industriam collocat, & pecunia casu fortuito perit? Duæ sunt opiniones: prima est, quando pecunia perierit, antequam Caius vllam operam prestet, damnum debet esse commune; ita vt Caius dimidiam damni partem refarcire debeat: si vero perierit, postquam Caius totam suam operam reddidit, tunc damnum pecuniae solum erit Titij, non Caij. Si vero perierit, postquam Caius aliquantulam suam operam dedidit, tunc damnum pecuniae debet esse aliqua ex parte commune; hoc est, Caius debet partem damni reficere, plus, minusue, prout maior, minorue fuerit opera, quam in commune collocauit. Sic Petrus Perusinus in tract. de Duobus fratribus, par. 4. quaest. 2. quam sententiam Cynus in l. c. Pro socio, a quo iorem iudicat sic etiam sentit Maior in 4. dist. 25. quaest. 47. §. Tertius casus. Alexander consil. 131. lib. 5. Eiusdem sententiae videtur fuisse Glossa in l. c. Pro socio. Ratio eorum est, quia Titius, & Caius perinde se habent, vt duo socij, quorum vnus centum aureos in vna naui posuisset, & alter totidem in alia naui: tunc enim si alterutrius sociorum centum aurei perirent, totum damnum deberet esse vtrique commune, ita vt quinqueaginta perirent vni, & totidem alteri: quia ducenti aurei sunt facti communes: sed opera, & industria Caij tantum estimatur (hoc enim ponimus) quanti est pecunia Titij; ergo si pecunia Titij tota perierit, Caius dimidiam partem damni sustinere iure ipso compellitur. Hinc etiam est, vt si pecunia perierit, postquam Caius operam suam totam posuit, nihil pecuniae soluere debeat, quia sicut Titius suam pecuniam amisit, ita Caius suam operam perdidit. Quod si post aliquantulam operam Caij pecunia Titij pereat, debet Caius plus, minusue damni reficere, prout maior, minorue fuerit opera, quam impendit.

Secunda opinio: Damnum pecuniae principalis non esse commune, sed solum Titij, siue pecunia ante vllam operam Caij, siue post omnem operam, siue post aliquantulam perierit. Ita Glossa in l. Si non fuerint. ff. Pro socio, in verbo socius, & Baldus in l. 1. c. Pro socio. sequutus Iacobum cognomento de Arena, & Bartolus in l. 1. c. Pro socio, Angelus in verbo Societas 1. num. 17. Rosella eodem verbo quaest. 11. Pisanella eodem verbo 2. vers. Quid si capitale. Siluester eodem verbo num. 1. quaest. 60. §. 20. Caietanus in summa, verbo Merimonialis societas, Nauarrus in Manuali cap. 17. num. 252. Hæc opinio est veteris, quam approbavit S. Bernardinus par. 2. quaest. 39.

Instit. Moral. Pars 3.

art. 2. cap. 3. vers. tertio quaeritur. Et ratio id ostendit, quia cum res perit, suo Domino perit: Titius autem cum in societatem pecuniam confert, eam cum Caio non communicat, sed solum fructum, & commodum illius: ergo cum perit casu fortuito pecunia, Titius perit, non Caio. Cum item pecunia integra superest soluta societate, tota ad Titium pertinet: ergo cum perit, totum damnum est Titij, non Caij. Quod vero obieciatur, hanc habet solutionem: Quando duo socij 200. aureos in commune conferunt, si centum ex illis perierint, damnum est vtrique commune, quoniam omnes 200. aurei sunt facti communes, eo quod ex pecunijs sociorum in commune deductis, conflatur vna fors principalis; quia omnes pecuniae à principio in commune ponuntur, vt inde lucrum eueniat: & nihil refert, si vnus sociorum ponat centum in vna naui, & totidem centum in alia; quia etsi pecuniae illa loco separentur, & distent, vnã tamen communem efficiunt sortem: at vero ex opera Caij, & pecunia Titij non fit vna fors communis, quia pecuniam à principio Titius in commune confert, operam vero suam Caius non item. Titius itidem cum Caio communicat vsum fructum, lucrum, & commodum pecuniae, non ipsam pecuniam.

Quarto quaeritur, An Titius, qui pecuniam ponit, possit in pactum deducere, vt Caius, qui suam operam collocat, aequè damnum patiatur, ac Titius, si pecunia perierit? Ratio dubitandi est, quia videtur esse hoc pactum iniustum, eo quod tota Titij pecunia non erit periculo exposita, sed tantum ex parte: nam eo ipso, quod Caius partem pecuniae pereuntis refarcire compellitur, saluam, & integram habebit Titius. Hoc autem contra naturam est societatis. Respondeo, pactum praedictum posse dupliciter poni: Aut enim pactum est, vt damnum siue periculum pecuniae sit commune, & pariter ipsa pecunia, si salua, & integra manserit, sit communis. Aut pactum est, vt pecuniae damnum commune sit, non tamen ipsa pecunia. Si primo modo pactum sit, iustum est. Glossa, Angelus, Rosella, Siluester, & alij supra citati. Ratio huius est, quia tunc Titius, & Caius sicut aequaliter damnum patientur, sic etiam ipsam pecuniam, si supererit, aequaliter inter se diuident, & Caius qui tantum operam ponit, se obijcit periculo, & lucro, vt partem pecuniae sibi lucrificet.

At vero si secundo modo pactum sit, est iniustum, & hoc probat argumentum initio factum. Ex quo fit, vt quocumque fuerit conuentum, vt damnum, siue periculum pecuniae sit commune, eo ipso tacite, & implicite intelligatur pactum esse, vt ipsa quoque pecunia sit communis: & è contrario si pactum est, vt pecunia communiceatur, tacite quoque conuentum censetur, vt damnum siue periculum pecuniae communiceatur; Angelus, Siluester, Rosella, Armilla, & alij in locis, quos supra retulimus.

Quinto quaeritur, An societas coiri queat eo pacto, vt fors principalis, quam vnus ex socijs in commune deducit, salua sit, ita vt quocumque casu fortuito perierit, eam alter socius reficere debeat, siue ex parte, siue in totum perierit? Duæ sunt opiniones, prima est posse coiri, eo quod tale pactum contra naturam societatis non sit, sed solum præter naturam: ac proinde quamuis vi, & natura societatis non valeat, valet tamen vi conuentionis; quia contractus ex conuentione legem accipiunt. l. 1. §. Si conueniat. ff. Depos. c. l. Contractus. de Regul. iur. Hanc sententiam sequi videtur Holsten. in summa, tit. de Vsur. §. In alijs autem, vers. Porro fieri potest. & teste Panormitano in cap. Per vestras, de Donationibus inter virum, & uxorem. idem sentit Ioannes Andreas in cap. praedicto, Per vestras, quod probat, quia Iustinianus Imperator Instituit de Societatibus. §. De illa. aperte dicit, posse socios conuenire inter se, vt quis lucri partem ferat, & de damno non teneatur: & l. Si non fuerit. §. 1. ff. Pro socio, habetur, ita coiri societatem posse, vt nullam partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit. Deinde non solum iure ciuili

li 2

tale

tale pactum approbari videtur, sed etiam iure canonico. Nam in cap. *Per vestras*, de *Donationibus inter virum, & uxorem*, precipit Pontifex, ut vxoris dos alicui mercatori committatur, ut de parte honesti lucri vir (de quo ibi agebatur) onera possit matrimonij sustentare. Vbi videtur Pontifex insinuare, dotem esse mercatoribus tradendam, ea conuentione, ut vxor certam lucri partem haberet, nec vllum sortis damnum sentiret: alioqui enim si dotem vxor suo periculo in societatem conferret, fieri posset, ut tota vxori periret, nec amplius haberet, unde commodè sustentaretur. Ad extremum, quia in alijs contractibus potest quis ex pacto rem suo periculo suscipere, ut l. 1. §. *Sapè*, ff. *Depositi*, & cap. 2. de *Deposito*, item *Commodatum*, cap. 1. de *Commodato*, item *locatum*, l. *Contractibus*, ff. de *Regulis iuris*, ergo idem iuris est de socio.

Secunda opinio est, prædictum pactum cum societatis natura, & substantia pugnat: quam sententiam Theologi sequuntur. Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad quintum*. Richardus in 4. *dist.* 15. *art.* 5. *quæst.* 1. S. Bernardinus par. 2. *serm.* 39. *art.* 1. *cap.* 1. *vers.* *Primus castus*. & cap. 2. 3. & 4. S. Antoninus par. 2. *tit.* 7. *cap.* 7. §. 37. Conradus de *Contractibus*, *quæst.* 97. Sotus lib. 6. de *Iustitia*, *quæst.* 6. *art.* 2. *ad tertium*. Sic etiam Summistæ, Gortedus, Angelus in *verbo Societas* 1. num. 7. Rosella eodem *verbo* num. 4. Pisanello eodem *verbo* num. 2. *vers.* *Sed an possit pacisci*. Siluester eodem, num. 1. *quæst.* 2. Tabienis in *verbo Vsuræ* 3. num. 3. Armilla in *verbo Societas*, num. 6. 8. & 9. Neanon & iuris Canonici interpretes: Glossa in *cap. Plerique*, 14. *quæst.* 3. Antonius Butrius, Cardinalis, Ioannes Liganus, Ancharanus, Caldennus, Anania in *cap. ult. de Vsuris*. Romanus in *consil.* 238. Abbas in *cap. Per vestras*, de *Donationibus inter virum, & uxorem*, & *consil.* 77. lib. 1. & *consil.* 114. lib. 2. Laurentius Rodolphus in *cap. Consuluit*, de *Vsuris*, par. 2. *quæst.* 19. Couarruias lib. 3. *Variarum resolutionum* cap. 2. num. 3. Idem & iuris Ciuilibus Doctores tradiderunt, Azo, & Accursius in l. *Si non fuerint*, ff. *Pro socio*. Baldus l. 1. C. *Pro socio*, & ibidem Cynus, & Paulus, Petrus Perusinus *tract. de Duobus fratribus* par. 4. Aretinus *Instit. de Societate*, §. *De illa*. Salicetus *Athen.* *Ad hac*, *quæst.* 14. C. *de Vsuris*, & l. 1. C. *Pro socio*. Denique hanc sententiam esse communem, testantur Socius, Comeus, Fulgositus, Aymon, quos citat Couarruias lib. 3. *Variarum resolutionum* cap. 2. num. 3. & id ratio ipsa conuenit: quia si Titius cum Caio Societatem contrahit ea conditione, ut si pecunia Titij aliquo casu sortito perierit, Caius totam, vel partem soluere cogatur, reuera pecuniam non in commune confert, sed mutam dat Caio. Item Iuriconsultus in l. *Si non fuerint*, §. *Aristo*, Leoninam societatem appellat, cum socij ita conueniunt, ut alter lucrum tantum, & alter damnum sentiat. Sic enim Leo cum Vulpe conuenit, ut Vulpes particulam tantum exigam lucri perciperet: & contra naturam societatis est, ut vnus caput saluum habeat, alter fructum. Quare merito dixit S. Antoninus, opinionem Hostiensis non esse in hac re tenendam, quamuis magna sit alioqui Hostiensis auctoritas.

Quæres, an prædicta societas iure Ciuili approbetur? Sunt, qui existimant eam approbari in *Instit. de Societate*, §. *De illa*. Sed reuera ius Ciuile eam societatem, & pactum condemnat in l. *Si non fuerint*, §. *Aristo*, ff. *Pro socio*, vbi sic est: [Aristo refert, Cassium respondisse, societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret, & hanc societatem Leoninam solitum appellare: & nos consentimus talem societatem nullam esse. Iniquissimum enim genus societatis est, ex qua quis damnum, non etiam lucrum spectet.]

Ad id vero, quod Iustinianus Imperator ait, talem societatem contrahi posse, Calderinus *cap. ult. de Vsuris*, Respondet, Iustinianum non loqui de damno sortis, vel capitis in commune collati, sed de damnis, quæ in societate, aliquando contingunt, saluo capite. Sed melius sanctus

Bernardinus, Panormitanus, Rosella, Conradus, Sotus, Siluester, & Tabienis Respondent, Imperatorem loqui de ea societate, in qua vnus pecuniam, alter operam tantum collocat, qui conuenire possunt, ut is, qui operam ponit, lucri partem acquirat, & nullum pecunie principalis damnum sentiat. Couarruias loco citato aliter Respondet: Si Titius, inquit, & Caius inita societate singuli in commune conferant mille aureos, pacisci possunt, ut vnus sentiat damnum fortis principalis, quam alter in societatem deducit: ita tamen, ut quisque damnum sustineat suæ pecunie principalis. Verbi gratia, si ex duobus milibus aureorum ducenti perierint, Titius repetat mille aureos, quos in commune posuit, & Caius habeat mille aureos octingentos aureos: possunt enim Titius, & Caius conuenire, ut neuter suos mille aureos, quos in societatem affert, cum altero communicet, sed suo periculo, & damno exponat, & nihilominus in commune cum socio tunc vtatque lucrum, & fructum pecunie cum socio communicat, non ipsam pecuniam. Sed mihi magis placeat responsum Abbatis, Conradus, Soti, Siluestri, Rosellæ, & Tabienis.

Rogabis etiam, an præfata societas, in qua pactum est, ut salua sit fors principalis, Canonico iure damnetur? Putant nonnulli, eam societatem permitti in *cap. Per vestras*, de *Donationibus inter virum, & uxorem*. Sed reuera in eo *cap.* ut rectè notant Conradus de *Contractibus*, *quæst.* 97. *ad finem*. Angelus, Rosella, Siluester, Tabienis, & Sotus, non approbatur, neque permittitur quia solum ibi Pontifex mandat, dotem mercatori committi, ut vxor partem honesti lucri inde percipiat: non tamen dicit Pontifex, ut mercatori tradatur ea conditione, ut in omni casu sortito sortito sit salua, nulli que periculo exposita.

Obicies auctoritatem Ioannis Andree in eo capite: Respondebo idem cum eodem Conrado, fortassis Ioannem Andream fuisse Hostiensis opinionem secutum: quamuis meo iudicio Ioannes Andreas nihil tale ibi sentiat: solum enim ait, dotem mercatori esse tradendam, & mercator, inquit, cautè onerabitur de pecunia integraliter restituenda, & de parte lucri reddenda. Vbi non dicit, mercatorem restituere pecuniam debere, etiam casu sortito perierit, sed esse cogendum restituere, si finita societate supererit.

Sexto quaeritur, An saltem societas contrahi possit eo pacto, ut si fors principalis casu perierit, eam soluere socius debeat, non quidem vi societatis, vel pacti, sed vi alterius contractus, qui vulgo asecutatio dicitur, hoc est, periculi susceptio; ita ut sint duo contractus, vnus societatis, cuius vi, & natura lucrum inde proueniens commune sit, & alter asecutatiois, cuius natura, & virtute alter è socijs subeat totum periculum sortis, siue pecunie principalis, quam alter in commune confert? Cæterum in *Opusculis* tomo 1. *tract.* 31. *Responsione* 11. affirmat talem societatem fieri posse, si reuera sint duo contractus ex intervallo temporis distincti, non tamen si vnus tantum contractus sit, vel duo, simul tamen iniri. Sotus tamen lib. 6. de *Iustitia*, *quæst.* 6. *art.* 2. *ad tertium*, negat absolute contra Cæterum posse societatem prædictam iniri, siue vno contractu, siue duobus ex intervallo temporis separatis coactur: quia, quod vno contractu fieri nequit, duobus etiam contractibus fieri nequaquam potest: alioqui enim fraus legi fieret. Quod autem societas contrahatur eo pacto, ut pecunia principalis in omnem euentum sit salua, cum natura societatis pugnat, ergo tale pactum apponi nequit, etiam si duo contractus sint temporis intervallo distincti. Cæterum Ang. in *ver. Societas*, num. 7. & Gabr. in 4. *distinct.* 15. *quæst.* 11. *art.* 3. *dub.* 10. *Ma. or. eod. lib.* & *dist.* *quæst.* 48. & 49. Siluest. *Societas* 1. *quæst.* 2. Tabien. *Vsuræ* 3. num. 3. Armill. *Societas*, num. 6. Couarr. lib. 3. *var. resol.* *cap.* 2. num. 4. Nauarr. in *Manuali* *cap.* 17. num. 283. & 284. & *consil.* 8. de *Vsuris*, num. 4. & *consil.* 13. num. 9. *consil.* 16. *eod.* *tit.* & in *comment. de Vsuris*, num. 32. & *leg.* Ioann. Baptista Lupus *tract. de Vsuris*, *commentario* 3. §. 1. num. 12. docent

docent simpliciter, & absolute posse prædictam societatem iniuri, non tamen expriment, an coiri queat vno contractu, an duobus seiunctis: quamuis Maior, Lupus, Nauarr. & Couarr. expresserint consilari posse societatem, siue expresse, siue tacite, & implicite in eandem duo contractus distincti, dummodo ipsa duo contractus, saltem virtute sint. Hæc opinio quibusdam hoc tempore probabilior esse videtur, vt quæ sit multorum Doctorum testimonio comprobata, quam hæc ratione confirmant. Nam sicut aliquis, qui socius non sit, potest suo periculo recipere pecuniam principalem, quam socij in commune conferunt: sic etiam socius ipse, cui alter pecuniam tradit, potest suo periculo, & damno suscipere. Vnde ratione oneris, & periculi, quod sustinet, iure potest pretium, siue mercedem sibi debitam exigere.

Si quæras ab illis, Quomodo iudicari queat, in societate tacite, & implicite, siue virtute contineri, cum vno solo contractu societas coirit? Respondent, quandoocunque is qui dat pecuniam socio, tanto maiorem lucri portionem exigit, quanto plus periculi suscipit is, qui dat pecuniam, tunc duo contractus implicite, & virtute sunt: quando vero is, qui pecuniam ponit, tantam lucri portionem sibi vult, quantum socius est percepturus; hoc est, quando cum socio conuenit, vt pecunia, siue fors in omnem euentum sit salua, & nihilominus lucrum æqualiter diuidatur, tunc duo contractus non sunt, ac proinde iniqua, & vsuraria est societas: nam socius, qui suo periculo pecuniam recipit, stipendium meretur: ergo, qui pecuniam dat, debet lucri portionem minuere, vt soluat socio debitam mercedem. Sed quanto maiorem, inquit, debet lucri partem accipere, qui pecuniam dat? Respondent, tanto maiorem, quanto maius est periculum, cui se socius obiecit. At communiter Angelus, Siluester, Tabienfis, Sorus, & alij Scriptores tradiderunt, periculum, quo quis centum suscipit, quatuor, vel quinque estimari, vel secundum aliquos, tribus, vel quatuor. Quare si Titius Caio mercatori det centum, vt lucrum, quod ex negotiatione acquisierit, inter eos diuidatur, ita tamen, vt centum sint periculo Caij, Titius lucri portionem, quæ excedit tria, quatuor, vel summum quinque, exigere non potest, etiam si ex centum in negotiationem collatis acquiri possit octo, decem, vel duodecim. Duo itaque, iuxta horum Auctorum sententiam, contractus ipsa sunt, si inter Titium, & Caium ita conuenit: In eo teum societatem, & do tibi centum in negotiationem, & lucrum commune erit: sed quis tu meam pecuniam tuo periculo suscipis, solua mihi, aut soluo tria, aut quatuor, aut quinque pro onere, & periculo, quod sustines. Item si inter eos ita conueniat: Do tibi in negotiationem centum, & quia hæc centum tuo periculo suscipis, ex lucro, quod ex negotiatione prouenit, accipies tibi tria, vel quatuor, vel quinque in pretium tui oneris, vel periculi, & reliquum lucri inter nos æqualiter diuidetur. Quo fit, vt quando nullum lucrum exierit, Caius habere debeat iustum, & debitum pretium aliunde sui oneris, & periculi, si lucrum proueniat, siue magnum, siue paruum, accipiet Caius ex lucro, aut aliunde debitam sui oneris, & periculi mercedem, & reliquum lucri inter se Titius, & Caius æqualiter partientur.

Quare duo, inquit, contractus secum non pugnant: nam ratione societatis Titius, & Caius lucrum æqualiter distribuunt ratione periculi, quod Caius suscipit, iustum pretium sui oneris habet, siue ex lucro, siue aliunde, siue paruum, siue magnum lucrum ex negotiatione comparatur. Hinc est, aiunt isti Auctores, vt Caius Titij pecuniam recipiens in negotiationem, eam in alios vsus conuertere, & impendere nequeat: nam retento sibi iusto, & debito pretio pro onere, & periculo, quod suscipit, debet totius lucri Titium participem facere: alioquin enim damnium Titij refarcire ipso iure compellitur. Hæc illi ex Nauarro, & alijs desumpserunt.

Ego tamen, vt latius dicam in capite proxime sequenti, questione quinta, existimo tres contractus iniuri posse ab-

lulsi. Moral. Pars 3.

que vlla vsuræ labe, cum tribus hominibus, nõ tamen cum eodem mercatore, siue vsuræ speciei, & imagine, siue simul, siue ex intervallo temporis fiant. Potest Cornelius (gratia exempli) centum in societatem dare Titio, ita vt sint periculo non Titij, sed eius, qui dat, & potest cum Caio pacisci, vt illorum centum, quæ Titio dat, periculum suscipiat, accepto pretio oneris debito, & iusto, videlicet quatuor, vel quinque. Deinde potest cum Seio facere pactiorem, vt lucrum incertum, & dubium certo pretio emat, scilicet, vt det octo ipsi Cornelio, quia poterit lucrari duodecim, & ita Cornelius habebit quatuor ex centum: nam ex octo, quæ ei soluit Titius, dabit quatuor Caio suscipienti periculum.

At vero hos tres contractus iniuri Cornelius cum Titio mercatore non potest, quoniam si Titius periculum suscipit pecuniæ, quam ei Cornelius dat in societatem, ita vt ea pecunia in negotiatione, & extra negotiationem vii iure queat, eo ipso acquirit dominium, & pecunia accepta, mutui vim habet, quemadmodum si Cornelius centum deponar apud Titium mercatorem, ita vt ipsis Titius vii possit, vel ita, vt centum sint periculo Titij, non Cornelij; perinde est, ac si Cornelius mutuos det Titio centum aureos: nam pecunia, quam quis ex pacto, vel contractu suo periculo suscipit, ad vtendum etiam extra negotiationem mutuum accipit, quoniam vsu ipso pecunia statim consumitur, nec in ea dominium, & vsus separantur. Ita etiam si Titius centum, quæ Cornelius ei dat in societatem, suo periculo suscipit, ita vt eis in societate, & extra societatem vii valeat, mutua accipit, non in societatem: sicut enim centum periculo Titij sunt, sic fructum Titio, non Cornelio reddunt: quod si recipiat Titius illa centum, eo pacto, vt tantum in negotiatione vii possit, suo tamen periculo, non Cornelij, tunc quamuis in mutuum non transeant, videntur tamen mutui vim habere, ac proinde tale pactum, tamen si reuera vsurarium non sit, speciem tamen, & imaginem habet.

Septimo queritur, An Sixti Quinti Constitutio, qua incipit, *Detestabilis*, in vniuersum prohibeat, ne societas contrahatur adiecto pacto, vt fors in quolibet casu fortuito salua sit? Dux sunt opinionones: vna est dicentium, in vniuersum prohiberi, ita vt Pontifex non solum condemnet pactum de sorte salua reddenda, cum ipsa societatis natura pugnant, sed etiam cum fors salua reddatur ex vi contractus, in quo quis periculo, & damno suo pecuniam suscipit. Id probat, quia Constitutio Pontificia dat formam societati, cum in ea Constitutio dicatur, societatem aliter contractam iniquam, & vsurariam esse. Sed constitutio, quæ dat formam contractibus, in vniuersum vim, & locum habet. Deinde, quia Constitutio generatim est posita, ergo non est cur nos eam restringamus. Accedit, quod nostrum non est, sed Principis legem à se latam interpretari, declarare, restringere. Postremo, Pontifex in Constitutio dicit, talem pactiorem esse contra æquitatem, & iniustitiam societatis, & esse fœneratiam, & vsurariam.

Altera est opinio, ea Constitutio Pontificia solum damnari societatem, in qua pactum est, vt fors sit periculo eius, qui pecuniam suscipit ex vi, & substantia societatis, vel ex vi conventionis, non autem, si tale pactum sit, eo quod socius periculum, & damnum pecuniæ subit, hoc enim pactum non solum nõ pugnat cum natura societatis, sed etiam cum ipso iure naturali est admodum consentaneum. Nam qui onus, & periculum suscipit, eo ipso honorem, & mercedem meretur. Accedit, quod odia, & pœnæ restringi, non laxari debent: ergo cum huiusmodi Constitutio odium, & pœnam contineat, restringenda, nõ laxanda est. Ad extremum, non videtur probabile, siue credibile, Pontificem damnare voluisse sententiam, quæ duodecim, atque etiam plurimum grauissimorum Doctorum auctoritate, & testimonio comprobata est.

In hac re, non parum refert nosse, hoc, an illo modo Constitutio Pontificia intelligatur: nam iuxta primam

sententiam ubique vim habet, quia formam contractibus dat.

At iuxta secundam sententiam, locum non habet, nisi ubi est usu recepta: & quando pactum est adiectum ex vi societatis, vel conventionis, Pontifex meo iudicio certe prohibere in vniuersum potest, ne tali pacto societas contrahatur: quia etiam si generatim cum natura societatis non pugnet, habet tamen speciem, & imaginem mali; & in his, quæ ad usuram pertinent, multa vetantur, non quia usuram contineant, sed quia usuræ speciem habent. Quem admodum etiam in materia, quæ est de Simonia, multa prohibentur, quia simoniae speciem reterunt, siue quia simoniam sapiunt: vt sic ab omni specie mali, iuxta Apostolum, *1. Thess. 3.* abstinemus. A viris tamen fide dignis auditur, Sixtum Quintum viæ vocis oraculo respondisse, cum de ea constitutione consuleretur, se non condemnasse societas tali pacto contractas, quas classici Doctores sua sententia comprobarunt, sed eas tantummodo, quas illi communiter damnarunt. Mihi de hoc Pontificis responso nihil certo conitat; verisimilius videtur, Constitutionem Pontificiam generatim esse intelligendam, ob rationes superius allatas.

Octauo queritur, Quid sit dicendum, cum vidua, vel pupilli tutor, vel curator minoris pecuniam mercatori dat hunc in modum: Volo, vt meam pecuniam tuo periculo, & damno suscipias, ac proinde vt in omnem euentum tantum mihi reddas, quantum tibi do, & ex lucro, quod ex negotiatione acquires, dabis mihi portionem, quantum tu ipse volueris? Respondeo cum Rosella in *verbo Societas, num. 4.* usuram esse, quia eo ipso vidua vult, vt lucrum commune sit, & damnum mercatoris.

Dices; vidua cum mercatore conuenit, vt tantum lucri ei det, quantum ipse voluerit, ergo eo ipso paciscitur cum mercatore, vt debitum stipendium oneris, quod suscepit, sibi retineat, siquidem liberam ei lucri diuisionem relinquit. Respondeo hoc non sufficere: aut enim vidua habet in animo percipere portionem lucri, etiam cum mercator lucrum æqualiter diuiserit, & tunc usura est, quoniam non soluit mercatori debitam mercedem pro onere, quod illi imponit: Aut habet in voluntate, tanto minus ex lucro percipere, quantum plus oneris, & periculi suscipit mercator, & tunc usuram animo, & voluntate non contrahit, sed conuentione, qua cum mercatore paciscitur. Sed quid si vidua cum mercatore conueniat, vt lucrum æqualiter inter eos diuidatur, pecuniam tamen mercator suo periculo suscipiat, & nihilominus vidua habet in animo pecuniam in societate cum suo periculo retinere? Respondeo cum S. Bernardino, Angelo, Rosella, & alijs, usuram esse in ipsa conuentione verbis expressa, non tamen in animo, & voluntate viduæ; ac ideo vidua cum mercatore conueniens, grauitur peccat, quia voluntatem suam mercatori non aperit: vnde verbis cum ipso conueniens, ipsum decipit, & se usuræ ream prodat: nihil tamen restituere mercatori cogitur, si reuera tanto minus ex lucro percipiat, quanto plus oneris, & periculi mercator suscepit, quia eo ipso stipendium mercatori debitum soluit. At vero voluntatem suam patefacere iure compellitur, ne si eam mori contingerit, vel aliter, eius hæredes à mercatore exigant tantum lucrum, quantum ex conuentione mercator debet, & ita mercatorem sua mercede defraudent.

Et ideo vidua iure ipso cogitur mercatoris damnum, & periculum deuitare.

Quomodo lucrum inter socios diuidendum sit.

CAPVT IV.

PRIMO queritur, Quid sit dicendum, quando Titius in commune contulit centum aureos, & Caius pecuniam suam, quæ tanti aestimatur, quantum summa centum aureorum, & lucrum est acquisitum ducentorum aureorum. An tunc, sicut Titius primum repetere potest suos centum aureos, ita etiam Caius possit sibi sumere totidem aureos, quos sua opera valet, ita vt deinde solum centum aurei, qui supersunt, sint æqualiter diuidendi? Pisanella in *verbo Societas. §. 1.* sic ait: [Si do tibi centum, & tu ponis operam, in fine anni facta ratione ego accipiam illa centum, & tu pretium personæ tuæ, siue industria, quod ponimus esse, siue valere alia centum, post hoc quicquid supererit de lucro, accipiam ego medietatem occasione pecuniæ meæ, & tu aliam medietatem occasione tuæ personæ.] Sic ille. Et ætate ipsum idem sensit Gofredus, teste Angelo in *verbo Societas. l. 1. §. 17.* Id ipsum docere videtur Maior in *4. dist. 47.* Ratio eorum Auctorum est, qui opera Caij tanti aestimatur, quanti summa aureorum, quos Titius in societatem conferit: ergo sicut Titius ante omnia suos centum aureos sumit, sic etiam Caius totidem sibi retinere debet. Et quia vterque æquas portiones in societatem deducit, æquales quoque lucri partes debet acquirere. Sed hanc sententiam merito Angelus loco citato, & Angelus cognomento de Perghis in *tract. de Societatibus, quest. 1.* confutat. Nam opera cuiuslibet dicitur fructus eius. *l. 3. §. seq. ff. de Operis seruar. item l. 1. ff. de Operis libert.* Opera hominis est diurnum officium, ergo opera Caij non habetur tamquam fors principalis, quia non à principio in commune conferitur. Secus esset, si Caius, & Titius pecunias singuli in societatem afferrent, tunc enim vtriusque pecunia fors dicitur, quia à principio in societate ponitur, vt inde lucrum proveniat. Quare Titio conferente in commune centum aureos, & Caio ponente suam operam totidem aureos valentem, si lucrum sit ducentorum aureorum, diuisio est sic facienda: Titius suos centum aureos primum accipiet, deinde ducenti aurei negotiatione acquisiti, sunt æqualiter inter ipsos diuidendi, ita vt centum Titio cedant, & totidem Caio: & ita lucrum æqualiter diuiditur; quia opera Caij tantum valet, quanta est summa centum aureorum, quos Titius societati conferit. At vero si Caius, & Titius singuli centum aureos, & operam in societatem collocant, & lucrum esset ducentorum aureorum, ita vt finita societate quadringenti aurei essent, tunc Titio dabuntur centum aurei, & totidem Caio, quia centum quisque ad societatem attulit, & ducenti, qui supererunt, æqualiter diuiduntur, ita vt singuli centum accipiant.

Secundo queritur, An coiri societas possit, vno pecuniam, altero operam, vel industriam tantum ponente? Respondeo, posse: nam in *l. c. Pro socio*, sic habetur: [Societatem vno pecuniam conferente, alio operam, posse contrahi, magis obtinuit.] Reuera olim inter Iuriscosultos fuit de hac re dubitatum, tum quia opera hominis non videtur tanti aestimari, quanta potest esse summa pecuniæ, quam quis in commune deducit; vt puta si magna sit, tum etiam quia is qui tantum operam ponit, videtur esse deterioris conditionis: nam si nullum lucrum existat, & nihilominus pecunia principalis salua, & integra sit, is, qui eam in commune collocat, nullum damnū sentiet: cum tamen qui ponit operam, & laborem, damnum semper ferat, quia suam operam perdit. Verum ceteri iuris est, posse socios conuenire, vt vnus pecuniam, alter operam, vel industriam conferat. Vnde *Instit. de Societ. §. De illa*, habetur: [Ita coiri posse societatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit: quia sæpè opera alicuius pro pecunia valet.] Et *l. Societas. ff. Pro soc.*

Se. dicitur: [Societas coiri potest, & valet etiam inter eos, qui non sunt equis facultatibus, cum plerumque pauperior opera suppleat, quantum ei per computationem partium non deest.] & *l. si non fuerint. ff. Pro socio*, sic habetur: [Plerumque tanta est industria socij, vt plures societati conferat, quam pecunia: vt si solus nauiget, solus peregrinetur, si pericula subeat.]

Tertio queritur, An inter socios possit esse pactum, vt vnus duas luci partes acquirat, & damni tertia tantum parte afficiatur, & alter duas damni partes, luci vero tantum tertiam ferat. [Vetus fuit controuersia, an talis societas coiri possit. Q. Mutius existimauit, contra naturam societatis talem pactiorem esse, & ob id non esse vt ratum habendam: At Ser. Sulpitius contrarium sentit, cuius sententia praxualuit.] vt dicit Iustinianus Imperator, *Instit. De sociat. §. De illa. & in l. si non fuerint. ff. Pro socio*, sic habetur: [Si non fuerint partes societatis adiectae, & quas eas esse constat: Si vero placuerit, vt quis duas partes, vel tres habet, alius vnus, an valeat: Placet valere, si modo aliquid plus contulerit societati, vel pecuniae, vel operae, vel cuiuscumque alterius rei causa.]

Quares, quo exemplo id patere possit. Respondeo cum Soto *de iustitia. lib. 6. quest. 6. art. 1.* hoc ita se habere: vt si Titius conferat 200. aureos, Caius vero 100. & simul etiam operam, vel industriam valentem 300. aureos. Tunc enim Titius in societatem adfert 200. Caius vero 400. aureos, centum in pecunia, trecentos in opera. Fingamus iam soluta societate, lucrum esse 300. aureorum: ad Titium ex lucro pertinebunt centum, & proinde tertia pars luci, ad Caium ducenti, hoc est, duas luci partes. At si casu fortuito principalis pecunia, quam vterque societati contulit, periret, Titius duas dispendij partes sentiret, Caius vero tertiam tantum, quia pecunia, quae est in commune collata, est trecentorum aureorum, quorum ducentos suo periculo Titius possit, Caius vero suo item periculo centum. Item si Titio in societatem adherente 200. aureos, Caius solum ponat operam, vel industriam valentem 400. & lucrum extiterit trecentorum, duas partes luci spectabunt ad Caium, & vniam tantum Titius accipiet, & pecunia Titij pereunte, Caius nullam pecuniam damnum sustinebit; & tamen Titius duas dispendij partes feret, hoc est, amittet 200. aureos. Et hoc est, quod dicitur in *l. si non fuerint. ff. Pro socio*, ita coiri societatem posse, vt nullam partem damni alter sentiat, hoc est, nullum pecuniae principalis dispendium, lucrum vero commune sit. Cassius putat quod ita deum valebit, [vt Sabinius scribit] si tanti sit opera, quanti damnum est. Et *Instit. De societate. §. De illa*, dicitur: [Illud quoque consilium, potest conuenire, vt quis luci partem ferat, de damno non teneatur: quod & ipsum Serenius conueniente sibi fieri existimauit.]

Quarto queritur, Quid sit dicendum, quando Titius pecuniam societati conferat, Caius vero solum operam, vel industriam tantumdem valentem, quantum pecunia Titij, an opera & industria comparetur cum tota pecuniae quantitate, an vero solum cum periculo vel emolumento, & commodo pecuniae? Soto *libro 6. de iustitia, quest. 6. art. 1. docet*, non esse comparandam operam cum tota pecuniae quantitate, sed cum periculo, cui Titius suam pecuniam obicit. Id probat, quia saepe vnus societati conferat tam ingentem pecuniae summam, vt hominis opera, vel industria tanti aestimari non possit, quanti illa pecunia; vt si Titius conferat decem, aut centum millia aureorum, & Caius solum operam suam, & industriam. Nauarrus in *Manuali. cap. 17. num. 251.* dicit, hoc esse nouum inuentum Soti: quia in *l. si non fuerint. & in l. Societas. ff. Pro socio. & Instit. De societate. §. De illa*, habetur, plerumque operam, vel industriam tantum valere, quantum pecunia valet: immo aliquando plus conferre operam, vel industriam, quam pecunia conferat. Sed non est cur Nauarrus in hac parte Sotum reprehendat. Nam Baldus, Cynus, & alij in *l. i. C. Pro socio*, & Petrus Perathinus *tract. De duobus fratribus. par. 4. quest. 2.* Angelus, Roicella, Pisanella, & Silueiter cum Sancto

Bernardino docuerunt, in huiusmodi societate potius haberi rationem emolumentum, & commodi, quod Titius potest ex sua pecunia percipere, quam ipsius pecuniae. Et quantum leges, & iura dicant, operam, vel industriam plerumque tanti, vel plus aestimari, quantum est pecunia; non significant tamen operam, vel industriam valere decem, vel centum millia aureorum, sed operam cum pecunia comparari, in hunc modum: Sicut Titius pecuniam suam societati conferat suo periculo, & damno, & cedit emolumento, & commodo, quod alioqui ex sua pecunia ferre posset: ita Caius operam suam, vel industriam in societatem collocat, & cedit fructu, quem alius posset sua opera, & industria ediparari: & ideo, vt supra dixi, Titius, & Caius pariter sunt conditionis, quia si lucrum extiterit, aequaliter id inter se diuidunt, si lucrum, & sola Titij pecunia amissis, etiam Titius suae pecuniae emolumentum & commodum. At si pecunia suae pecuniae emolumentum & commodum dispendium quoque perierit, quamuis Titius tunc pecuniae fructum amiserit, & Caius nullo pecuniae, vel industriae damno afficiatur; hoc tamen ipsa societatis vis, & natura postulat, vt qui pecuniam ponit eam suo periculo, & damno in societate ponat.

Quinto queritur, An Titius, & Caius societatem coire possint ea conditione, vt Caius suo periculo suscipiat pecuniam Titij, & certam luci partem Titio reddere debeat, reliquum vero lucrum sibi sumat? Ponam clarius quaestionem: Titiusne & Caius contrahere societatem possunt, ita vt Titius in commune conferat centum, & Caius in omni euentu Titio centum salua, & integra, & praeterea quinque, vel quatuor in vicem luci soluere ex pacto cogatur? Quaestionem hanc tractat Maior in *4. Dist. 15. quest. 49.* vbi affirmat, eam disputabile publice Ioannem Eckium Theologum Germanum Bononiae coram Ioanne Croto Monfrato, publico iuris Pontificij Professore Bononiensi. De hac quoque questione consulit Caietanum quidam Conradus, ad quem extat Caietani responsum in *Opusculis, Tomo 1. tract. 31. in responsione 11.* De eadem re videtur Nauarrus in *Manuali tractauit. cap. 17. num. 253. & seqq. conf. 8. de usur. num. 4. Conf. 13. num. 6. & conf. 16. eodem titulo. & in com. in cap. Si fuerit aurius. 4. quest. 3. de usur. num. 32. & seqq.*

In hac controuersia, Primò omnes conueniunt, esse pactiorem inquam, & contra aequitatem, & naturam societatis, si Titius cum Caio societatem contrahat, ea conditione, vt Caius suo periculo suscipiat centum, quae Titius in societatem adfert, & nihilominus lucrum inter eos aequaliter diuidatur, nec Caius iustum, & debitum pretium recipiat periculi, onerisque quod suscipit. Item, si Titius cum Caio conueniat, vt Caius suae sit, siue non sit lucrum, siue pereat, siue non pereat pecunia Titij, certam luci partem ei soluatur, reliqua luci parte sibi retento, & nullo alio pretio accepto. Item si Titius, & Caius paciscantur, vt Caius vtriusque onus sustineat, nempe, vt Titij pecuniam suo periculo suscipiat, & certam luci partem Titio reddat in omnem euentum, nec vllam mercedem sui oneris, & periculi Caius habeat.

Praeterea ponamus oportet constitutionem Sixti Quinti, cuius initium est: [Detestabilis auaritia,] vbi dicit, tales pactiões in societatibus esse contra aequitatem, & iustitiam contractus, esse foeneratias, & usurarias, & ob id nullius ponderis, & momenti.

His positis, difficultas quaestionis propositae in his, quae sequuntur, potissimum consistit. Primum, an pactum, vt Socius suo periculo suscipiat pecuniam alterius, ita vt in omnem euentum siue ex parte, siue ex toto periret, tantumdem soluere siue ex parte, siue in totum debeat, quantum suscepit, pugnet absolute, & simpliciter cum natura, & substantia societatis, remoto quolibet iure scripto, siue ciuili, siue canonico, & pontificio. In hoc enim sunt duae sententiae, de quibus tractaui *capite superiori, quaestione 6.* Et haec difficultas eo reuocatur: An ex tali pacto, cum pecu-

pecunia in commune confertur, transeat in mutuum, an verò in alium contractum iustum, qui sit præter, non contra naturam, & substantiam societatis? Sotus *lib. 6. de iustitia. quest. 6. art. 2. ad tertium*, censet, ex tali pacto caput, quod in societatem confertur, in mutuum transire, ac proinde lucrum inde acquisitum, fœnerationem esse, & vltimum, quia qui pecuniam societati confert, etiam eam mutuum det socio, & ex ea lucrum recipiat, vltra peccatum admittit. At Nauarrus in *Commentario de Vsur. num. 32. & seqq.* Sotum confutat, & censet ex tali pacto mutuum non exillere, nec ipsum pactum esse contra, sed præter naturam, & substantiam societatis: quoniam cum vnus sociorum, alterius pecuniam suo periculo suscipiat, & sui periculi, & oneris iustum, & debitum pretium exigit, inquit cum socio alium contractum, qui vulgò assecuratio dicitur, qui societatem comitatur, non tollit. Ratio Nauarri est, quia in aliis etiam contractibus potest vnus suo periculo alterius rem suscipere: nam tali pacto potest quis recipere. *l. 1. §. Sape. ff. Depositi. & cap. 2. de Deposito.* Item, commodatum aliquando quis suo periculo suscipit, *cap. 1. De comm.* Idem iuris est de locato. *l. Contractus. ff. De Regul. iur.* Ergo pari ratione socius potest alienam pecuniam suo damno, & periculo suscipere. Accedit, inquit Nauarrus, quod depositum, commodatum, & locatum ratione moræ, & culpæ in restituendo sunt periculo debitoris, non creditoris, & tamen mora, vel culpa non transeat ad debitorem, rei debet dominium. Sed Sotus respondet, depositum, commodatum, & locatum, quando tali pacto datur, transire in venditum crediti pretij solutione. Nam si equum, inquit, Titio commodes, ita vt si casu fortuito perierit, ipse Titio pereat, non tibi, Titius tantum tibi soluere debet, quanti est equus, eo ipso equum Titio vendidisti; credita tamen, non numerata pecunia. Idem iuris est, inquit Sotus, si tali pacto supellectilem, vel aliam rem Titio locares: at verò pecunia, cum Titius eam in societatem dat, in venditum non transit, neque enim pecunia vendi potest: transit igitur in mutuum, siquidem socius in omnium euentu cogitur tantumdem reddere, quantum accepit. At enim probabilius, ac verior videtur Nauarri sententia asserentis ex tali pacto non fieri, vt pecunia sit mutuo data, & hoc, inquit, ratio videtur ostendere. Nam is, qui mutuum accepit, potest suo arbitratu pecunia vti, & eam in vsus, quos ipse maluerit, conuertere, & impendere: at socius non potest suo arbitratu pecunia in societatem data vti: nam si est ad negotiationem exposita, nequit eam nisi in negotiationem conferre, & infumere. Accedit, quod lucrum debet esse commune, dummodo socius oneris, & periculi quod sustinet iustam, & debitam mercedem habeat. Fingamus igitur Titium in societatem dare centum, vt inde lucrum euertat, & Caio soluere tria, vel quatuor, eo quod ipse Caius illa centum suo periculo suscipiat: ergo soluto huiusmodi pretio, lucrum inter Titium, & Caium est ratione societatis æqualiter diuidendum, ita vt si negotiatione viginti, vel triginta lucrati fuerint, singuli habere debeant æquas portiones, videlicet decem, vel quindecim, & quo maius, vel minus lucrum fuerit, singuli maiorem, minoremve portionem accipiant: & si nullum lucrum extiterit, is qui pecuniam in societatem deduxit, nullum fructum percipiat, & nihilominus soluat pretium pro onere, & periculo, quod alter suscipit. Non igitur est omnino sublata societas, sed cum nouo alio contractu coniuncta. Postremò in contractu, qui vulgò dicitur assecuratio, is qui pecuniam, vel mercis periculum suscipit, non eo ipso fit dominus pecuniam, vel mercis. Et in venditione aliquando emptor subit periculum rei venditæ, cuius dominus nondum effectus est. Obiicies cum Soro, hoc nihil obflare, quo minus pecunia sit mutua Caio data, si quidem tantumdem, quantum accepit, debet in omni euentu Titio reddere. Respondeo, non ideo mutuum esse, quia tantumdem mihi reddere debeas, quantum accepisti vt alterius contractus, videlicet, quia te mihi obligasti pretio accepto ad reddendum, quantum accepisti ex me. Item, quem-

admodum locatum, vel commodatum in venditum transit crediti ad tempus solutione pretij, vt dicit Sotus, quando pactum est, vt tantumdem reddatur, quantum est commodatum, & locatum, si casu fortuito locatum perierit: Sic etiam pecunia, quæ in societatem datur, quantum in venditum non transeat, transit tamen in alium contractum, qui non est mutuum, sed contractus innominatus, do vt des, vel facio, vt facias, vel do, vt facias, vel facio, vt des. Ita videlicet: dat Titius pecuniam suam Caio in societatem, & quia Caius pecuniam periculum subit, soluit ei Titius iustum, & debitum periculi pretium. Ergo hic contractus, mutui non est, nec societatem mutat, aut tollit, sed est quidam contractus, qui præter naturam, & substantiam societatis accedit: sicut cum depono, inquit, apud te pecuniam, & quia eam tuo periculo suscipis, tui oneris, & periculi iustam mercedem soluo, adhuc depositum est, quia quandocumque voluero, repetere possum, & nihilominus etiam si casu fortuito perierit, ex pacto tibi perit, non mihi: quod pactum præter, non contra depositi naturam est.

Tria in hac re probabiliora mihi videntur: vnum est contra Sotum, commodatum, vel locatum, etiam quis id suo periculo suscipit, non transire in venditum, quia commodato nequit quis suo arbitratu vti: datur enim commodatum ad certos vsus. Item ex dolo, & culpa tenetur, qui commodatum accipit, vt si dolo, vel culpa illud detur fecerit. Insuper commodatum si extat idem numero, vel idem specie, vt Iurisconsulti loquuntur, restitui debet. Locatum idem idem numero est omnino reddendum, & is qui recipit, ex dolo, & lata culpa tenetur. Præterea conductor certam pensionem pro re locata soluit. Idem iuris est in pecunia, quæ apud alium deponitur vel in saculo inelusa, vel in argento signato. Hæc enim pecunia non transire in mutuum, etiam si quis eam suo periculo suscipiat: quia vt constat ex *l. Si sacculum. ff. Depositi*, ea vt suo arbitrio non potest, & eandem numero restituere debet. *l. In naua. ff. Locati.* tunc enim is, apud quem deponitur, non suscipit, vt ea vtatur, vel negocietur.

Alterum est contra quosdam iuniores. Pecuniam nempe, quæ in pondere, vel numero consistit, transire in mutuum affirmamus, cum quis ex pacto, vel ex contractu suo periculo suscipit ad ea vtendum, vt voluerit: quod patet in deposito. Nam ex *l. Certe conditio. §. Depositi. & l. Quod si ab initio. ff. De rebus eral.* cum depositum committatur alicui libera ei facultate data vtendi eo, mutui vim habet: nam eo ipso, quod ex pacto potest deposita pecunia pro suo arbitratu vti, potest eam impendere, in quos ipse maluerit vsus. At in pecunia, dominium ab vsu separari non potest, quia eo ipso quo vtitur, infumimus: ergo qui pecuniam depositam suo periculo suscipit, vt ea vtatur, ea vti liberè potest. Cum igitur pecunia in societatem datur, eo pacto, vt is cui datur, suo periculo suscipiat, & habeat, & negocietur, & vtatur, vt voluerit, in mutuum transire, quia in omnem euentum tantumdem restituere debet, quantum accepit, siquidem ea pecunia vti potest, vt ipse voluerit. Item pecunia sicut ex pacto, vel contractu est periculo mercatoris, qui eam suscipit, non eius, qui dat, si lucrum, & fructum parit mercatori, non ei, qui dedit. Accedit, quod ius societatis, vt dicitur in *l. Verum. ff. Pro socio*, est quodammodo ius fraternitatis: ergo contra naturam societatis est, vt des pecuniam in societatem tibi omnino saluam, & integram reddendam. Adde, quod est contra naturam societatis, vt pecunia, quæ tua solum est, vel tibi cum socio communis, sit in societate solium periculo socij, non tuo.

At inquit: Qui pecuniam dat in societatem, solium dat in negociationem, ergo qui recipit, extra negociationem ea vti non potest. Respondeo, pecuniam eo ipso, quod ex pacto, vel contractu quis suo periculo suscipit, vt ea vtatur, vel negocietur, vt voluerit, posse in vsus quos maluerit, qui eam recipit, conuertere, & impendi; quoniam si quis eam suo damno, & periculo suscipit ad vtendum ea, & nego-

tandum arbitrato suo, nulla iniuria, & detrimento afficit eum, qui dedit, si utatur, ut ipse voluerit. Obstat, damnum hac ratione inferri ei qui dedit, quoniam ex negotiatione lucrum expectat, quo frudatur, cum pecunia in alios usus impenditur. Respondeo, hoc esse, quod contendimus, non posse scilicet expectari lucrum ab eo qui pecuniam dat eo pacto, ut is qui recipit in usum suum, vel negotiationem, totum eius periculum subeat: quare solum repetere iure potest tantundem, quantum dedit: alioqui si lucrum expectet, suo periculo det. Deinde cum ipsa ratione pugnat, ut pecunia, quam Caius suo periculo suscipit, & habet ad usum, vel negotiationem suam, lucrum, & fructum pariat Titio qui dedit: nam eo ipso quod pecunia est periculo Caij, ad usum, & negotiationem suam facta est eius, & definit esse pecunia Titij.

Tertium est, si vnus socius det alteri suam pecuniam eo pacto, ut eam quidem suo periculo suscipiat ad negotiationem, sed ne ea uti extra negotiationem possit, tunc pecunia non transit in mutuum. Et hoc probant contra Sotum argumenta Nauarri.

Ex his soluitur altera difficultas, an pactum, de quo nunc agimus, sit per se fœneraticium, & vsurarium, seu solummodo iure scripto, siue Ciuili, siue Canonico? Angelus, Silesius, Gabriel, Maior, Tabienis, Armilla, Caietanus, Couarrubias, Nauarrus, Ioannes Baptista Lupus, quos *reuli capite superiori, quest. 6.* Hostiensis item, & Ioannes Andreas, & alij censent, non esse id per se fœneraticium pactum, quando tale est, ut in omnem euentum salua sit pecunia, quæ in commune conferunt: non quidem vi & ratione societatis, sed vi alterius contractus, quo is cui datur, totum eius periculum subit: dummodo tamen ea in negotiatione, non extra utatur. At verò Sanctus Bernardinus, Sanctus Antoninus, Conradus, Sotus, Rosella, Pifanella, Azo, Accursius, Baldus, Paulus, Abbas, Calderinus, Ancharanus, & ceteri, tum Canonici, tum Ciuili iuris interpretes, *ut capite superiori, quest. 6.* affirmant tale pactum per se vsurarium esse, & meo iudicio, prima sententia valde probabilis est, sed secunda est tutior, & communiter approbata: quia ut modò dixi, ex huiusmodi pacto pecunia in societatem data, mutui vim, & vsuræ speciem, & imaginem habere videtur, quamuis reuera in mutuum non transeat: ac proinde lucrum est specie, & imagine fœneraticium.

Soluitur tertia difficultas, an consuetudine recepta excusari queant, qui suas pecunias in societatem conferunt eo pacto, ut socius suo damno, & periculo suscipiat, & nihilominus certam lucri partem soluat is, qui pecunias dederunt? Nauarrus *in Manuili cap. 17. numer. 256.* & *in commentario de vsur. num. 32. & seqq.* ait se consilium sapientius dedisse, ut qui pecunias dant in societatem, cum mercatore, cui dant, tres expressè vel tacitè ineant contractus, vnum societatis, vi cuius commune sit lucrum; alterum affecutionis, ut vocant, cuius vi mercator totum pecuniarum periculum subeat pretio iusto accepto; videlicet si centum suo periculo suscipiat, exigat quinque aut quatuor pro onere quod sustinet: Tertium venditionis, quo scilicet Titius, qui dat pecunias Caio mercatori, lucrum incertum, & dubium, quod expectat, vendat Caio debito pretio, hoc est, pro duodecim, vel quindecim incertis, quæ ex negotiatione possit acquirere, accipiat tertiam partem, utpote quatuor, vel quinque duabus lucri partibus mercatori relictis: propterea quod in suscipienda suo periculo pecunia, & in emenda dubia, & incerta lucri portione, duo onera sustinet.

Addit Nauarrus, consuetudinem esse receptam in Germania, Gallia, & Italia, ut viduæ, pupillorum tutores, vel minorum curatores, centum in societatem mercatori dent ea conditione, ut quotannis ipse mercator reddat quinque, vel quatuor in omnem euentum, & nihilominus salua, & integra centum restituat, quando finita societas fuerit. Subdit quoque Nauarrus: Optarem, ut Episcopi, vel saltem Pontifex Maximus declararet prædictam consuetudinem esse

se iustam, eò quod præsumendum sit, in terris, in quibus à tempore immemorabili illa inoleuit, habuisse originem huiusmodi licitam, & ita bona conscientia seruari posse, monitis præsertim deponentibus, & depositariis, ut tres prædictos contractus faciant, vel habeant pro factis. Pro quo facit, quod consuetudo immemorabilis facit præsumi titulum requisitum ad eius valorem, *cap. Super quibusdam, de verb. signif. & l. Hoc iure. §. Ductus aqua. ff. De aqua quotidiana. & c. s. ff. Hac Nauarrus, Maioris, & aliorum quos supra nominavi, sententiam sequutus.*

At verò, quoniam ut dixi, tale pactum specie ipsa, & facie est fœneraticium, & consuetudo, quæ vsuras admittit, corruptela est, cum vsuræ iure naturali, & diuino venentur, consequens est, ut nullâ consuetudine, etiam longissimi temporis cursu recepta excusari possit vsuraria pactio: eò quod consuetudo, quæ memoriam hominum excedit, dat quidem ius, sed solum in his, quorum sumus alioqui capaces: sed non in his, quæ cum iure naturali, vel diuina lege pugnant. Consequens itidem est, ut quia abstinendum est ab omni specie mali, & tale pactum vsuræ speciem refert, abstinere à tali pacto debeamus, & tenere quod tutius & certius est. Verum obicit Nauarrus nonnulla ad suæ sententiæ confirmationem. Primum est, *in cap. Per vestras. de donationibus inter virum, & uxorem.* videtur talis societas approbari. Ibi, inquit ille, Papa iubet, ut marito vergente ad inopiam, dos deponatur apud aliquem mercatorem, quo ex parte lucri honesti, onera matrimonij sustentet, & ita intentio eius fuit, ut dos salua seruaretur, si quidem ob hoc iubebat illam à marito auferri: ac ita videtur voluisse, ut ad lucrum, & damnum mercatori traderetur, quod erat eum periculo obicere. Voluit item Pontifex certum aliquod lucrum inde provenire ad matrimonij onera sustinenda: at hæc duo fieri non possunt sine affecutione fortis, & lucri incerti pro pro certa portione, ergo Papa tacitè voluit illa fieri. Hæc Nauarrus.

Verum ad hanc obiectionem Nauarri respondeo in primis cum Abate, Calderino, Soto, Conrado, Rosella, & alijs, quos *capite superiori in questione sexta* commemoravi, *ibi* Pontificem numquam dixisse, ut dos vxoris mercatorii in societatem daretur, ea conditione, ut mercator dotem suo periculo susciperet: sed solum dixisse, ut certam lucri partem haberet vxor, ita tamen ut dotem suo periculo mercatori committeret. Secundo respondeo, Pontificem voluisse, ut vxor haberet certam lucri partem, & dotem saluam initis tribus contractibus cum tribus hominibus, videlicet contractu societatis inito cum Titio mercatore secundum leges, Canones, & iura: secundo contractu cum Caio, quo ipse Caius dotis Titio datæ periculum susciperet, iusto pretio accepto: Tertio cum Seio, cum vxor venderet suum lucrum incertum & dubium, certo pretio accepto: nec enim negandum est, posse hos tres contractus cum tribus hominibus iuri: Solum negamus cum eodem mercatore id fieri citra speciem vsuræ posse. Nec vim habet argumentum; si cum tribus hominibus hoc fieri potest, poterit quoque cum eodem mercatore fieri, eò quod longè diuersa ratio est. Nam si mercator pecuniam suo periculo suscipit ex pacto, siue ex contractu, eo ipso eius dominium acquirere, & mutuum pecuniam accipere videtur, non in societatem; at verò data pecunia in societatem Titio mercatori, potest Caius periculum eius sustinere pretio accepto, quia pecuniam ipse non suscipit, sed obligat se ad eam soluendam, si in negotiatione Titij perierit, & ratione huius oneris quod sibi imponit, pretium debitum accipit.

Secundo obicit Nauarrus, in Gallia, & Germania esse vsu receptum, ut magistratus, & iudices cogant tutorem ad soluendum pupillo quatuor quotannis, eò quod centum, quæ pupillus habet, mercatori in negotiationem non dederit. Respondeo, nos hanc consuetudinem approbare, non tamen quemadmodum approbat Nauarrus, videlicet initis tribus contractibus cum eodem mercatore: sed reuera tutor iuste condemnatur, eò quod potuit facile

centum dare, & emere redditum annuum, quo pupillus certa haberet quotannis sex, aut quinque: aut potuit fundam emere; vel aliquid aliud, ex quo pupillus quotannis perciperet quinque: aut denique facere potuit, ut in toto triplici contractu cum tribus hominibus, quatuor, aut quinque pupillus acquireret. Ergo tutor iuste condemnatur ob tutelam negligentem administratam. At si consuetudo sit, ut cum eodem mercatore tres praedicti contractus inentur, corruptela esse videtur, quamvis eam Nauarrus non improbet.

Tertio obiicit Nauarrus, quia in Italia sunt aliqui montes communis pietatis gratia constituti ad dandas mutuo pecunias indigentibus; & consuetudine recepti Principis, vel Reipublice auctoritate statuitur sic: Quicumque apud montem deposuerit centum, quatuor accipiet, & nihilominus, quandocumque sua centum repetuerit, salua, & integra habebit. Respondeo, hos montes non esse ex parte eius, qui suam pecuniam deponit, ab usura immunes, & liberis eo modo, quo dixit Nauarrus, quia quisque centum apud montem deponat tribus initis cum ipso monte contractibus, ita ut quatuor certa percipiat, & nihilominus habeat ius sua centum repetendi. Ego certe non video, quemadmodum hi montes omni usurae saepe careant, nisi quia is, qui apud montem centum deponat, quatuor recipit quotannis: non quidem ratione depositi, vel mutui, triumve contractuum, ut Nauarrus existimat, sed solum ratione lucri cessantis, quia is, qui deponit sua centum, daturus aliqui mercatori erat in societatem, & cum aliis duobus hominibus duos ininitus contractus, ex quibus sua centum salua haberet, & integra, & quatuor certa perciperet. Vel quia centum datis, esset empturus redditum annuum, vel fundum, ex quo perciperet sex, vel septem. Quare Principis, vel Reipublice statutum, quamvis generatim positum, videlicet ita: Quicumque deposuerit centum apud montem, ego intelligo, & interpretor restricto, hoc scilicet modo: Quicumque deposuerit centum, recipiet quatuor, & sua centum solum habebit, si aliqui esset quatuor certo lucraturus saluis, & integris suis centum. Nam alias, si generatim statuti verba sumantur, iustitiam, & aequitatem non continent ex parte eorum, qui pecunias deponunt, cum ex mutuo lucrum recipiant ex parte vero montium usurae peccatum non committitur: quia ipsi usurarii lucrum soluunt, non recipiunt.

Solutur quarta difficultas, An Sixti Quini constitutio, qua incipit *Detestabilis avaritia*, condemnet tamquam foeneratitiam, & usurariam per se societatem, in qua pactum est, ut pecuniam in commune datam socius suo periculo suscipiat, & nihilominus, qui pecuniam dat, lucrum, non damnum agnoscat: An vero solum condemnet tamquam in fraudem Canonum contra usurarios factam, vel tamquam foeneratitij contractus speciem, & figuram habentem? Meo iudicio Pontifex condemnare videtur tamquam foeneratitiam, & usurariam appellat. Dices; credibile non est, Pontificem condemnare voluisse societatem tamquam usurariam, quam grauissimi Doctores Iurisconsulti, & Theologi plusquam duodecim, ut licitam, & iustam approbarunt; Hostiensis nempe, Ioannes Andreas, teste Abbate in cap. *Per vestras de donationib. inter virum, & uxorem*. Angelus item, Siluester, Tabienfis, Armilla, Gabriel, Maior, Caietanus, Nauarrus, Couarruias, Ioannes Baptista Lupus, quos omnes propriis locis supra citati in capitulo superiori in *secunda questione*. Respondeo, omnes eiusmodi Auctores loquutos fuisse ante Sixti V. Constitutionem, & sequutos esse sententiam, quae tunc temporis probabilis videbatur. Sed Pontifex postea, Constitutione edita declarauit, foeneratitiam, & usurariam esse societatem, in qua pactum est, ut socius pecuniam, quae in commune confertur, suo damno, & periculo suscipiat, ita ut in omni euentu tantundem reddere debeat, quantum accepit. Operabat Nauarrus, ut Pontifex declararet, tale pactum in societate licitum esse, & iustum: at contrarium Pontifex de-

clarauit, ac definiuit, ut superiori capite dixi in *secunda questione*. Theologorum, & vtriusque Iuris Doctorum sententia semper fuit, tale pactum esse foeneratitium. Dices, Pontificem solum voluisse, huiusmodi pactum esse iniquum, quandocumque ex vi, & natura societatis apponitur, non quando ex vi alterius contractus cum societate conuerti adicitur. Respondeo, hoc esse dubium, incertum, & obsecrum, videlicet, An sic, vel aliter Pontifex intelligat Pontificis, non autem nostrum est, casus dubios, incertos, & obscuros interpretari, & declarare. Cum igitur Constitutio Pontificia non declaret hunc, aut alium casum, generatim est accipienda, donec Pontifex ipsam Constitutionem declaret. Deinde respondeo, quod dixi, pactum esse in fraudem legis, & speciem usurae, ut minimum continere: ac proinde ex Constitutione Sixti V. prohiberi, ita ut in societate poni non possit.

Sexto quaeritur, An Titius cum Caio possit societatem inire, ea conditione, ut ex centum, quae Titius in commune confert, certam lucri partem habeat, puta, octo, & reliquam lucri, siue longè maior sit, siue minus, sibi capiat Caius, qui solum operam, vel industriam collocat: immo, ut Caius certam eam partem habeat, quamvis nullum sit lucrum? Respondeo, iustum esse hanc societatem, dummodo pactum non sit, ut in omnem euentum eorum Titij fiat salua, & integra in totum, vel ex parte. Ita S. Bernardinus par. 2. serm. 39. art. 1. cap. 1. versic. *quartus casus*. Angelus, *Societas. l. num. 6.* Rosella eod. verbo num. 28. Siluester eod. numer. 1. q. 18. Armilla eod. num. 17. Ratio huius est, quia Titius lucrum incertum, & dubium Caio facit vendit: nam ex centum, quae Titius in societatem Caio dat, poterat lucrari duodecim, & hoc lucrum incertum, ac dubium emit Caius certo pretio dato: dat enim Titio octo, quia potest lucrari duodecim. Item captus piscium, vel aurum, vel ferarum, vel missilium emuntur. *l. Ne emptio. §. Sed si id. ff. de contrahen. emptio*. Et hoc ideo, quia lucrum ex iactu rebus proventurum, dubium est, & incertum. In antiquis, in Constitutione Sixti V. etiam vetari, ne pactum sit, ut certam lucri portionem vnus socius exigat. Respondeo; tale pactum damnari, quando simul etiam conuentum est, ut fors, siue pecunia principalis sit in omnem euentum salua, & integra. Urgebis, in ipsa Constitutione prohiberi, ne pactum sit de salua sorte, siue pecunia principali seruanda, aut de certa lucri portione reddenda: ergo Constitutio prohibet, ne aut hoc, aut illud pactum sit. Respondeo Constitutione vetari tunc solum pactum de salua sorte reddenda, tum etiam pactum de sorte in omnem euentum vna cum certa lucri portione soluenda. Non igitur prohibet Constitutio pactum solum de certa lucri portione exigenda, quasi Titius pecuniam non suo, sed Caij periculo in societatem dat, nihil mali facit, si Caio lucrum incertum, & dubium, pretio accepto vendat.

Septimo quaeritur, An Caius, qui solum operam, & industriam in societatem collocat, possit cum Titio ita contrahere, ut in omnem euentum certam pecuniae quantitatem, vel certam lucri partem habeat, siue existat ex negotiatione lucrum, siue non existat, siue pereat pecunia principalis Titij, siue maneat salua? Respondeo, posse contrahere; sed tunc non est inter Titium, & Caium constata societas, sed est ininitus contractus locati, & conducti. Caius enim suum laborem, & operam Titio locat, & Titius conduxit operam Caij certa mercede ei data, quam reuera potest, vel ex sua pecunia, vel ex lucro soluere; quod si lucrum non extiterit, debet nihilominus Titius aliunde soluere. Angelus in verbo *Societas. l. num. 6.* Rosella eodem verbo num. 17. Siluester eod. l. quest. 3. Pisanella eodem l. §. 2. Armilla eod. num. 7. Nauarrus in *Manuali. cap. 17. num. 256.* Talis etiam contractus inuitur, cum Titius Caio dat certam fundi, vel agri partem, ut colat eam, & retineat sibi certam anni fructus portionem, si inde proueniat, si minus, aliunde habeat. Item cum Titius, qui publici muneris, vel officij praefecturam emit à Republica, Rege, vel Principe, concedit Caio, ut eam exerceat, ea lege, ut acci-

piat sibi portionem certam lucri, quod ex muneris administratione proveniet, nisi minus aliunde.

Octavo queritur, Quid nomine lucri in societate quaestiuola, de qua nunc agitur, intelligatur? Respondeo in l. Mutius. ff. Pro socio, sic haberi: [Lucrum intelligitur, omni damno deducto.] Preterea iurum, quod est sociis commune, intelligitur id, quod ex negotiatione, vel causa, siue ratione negotiationis provenit, non autem si aliunde, vel sola occasione negotiationis existat. Exemplum sit: Adiuit Titius Principem causa societatis, & ipsa Titij persona placuit Principi, non quia socius alicuius esset, sed quia Titius sibi eius animum, & voluntatem conciliavit, & ob id Princeps Titio aliquid donavit: id doni Titius cum socio communicare non cogitur, quia sola occasione, non causa societatis accepit. Idem iuris est, si Titius cum Caio societatem conuit, & ob id Seij amicitiam contraxit, & postea institutus est heres a Seio, aut multis beneficiis affectus, non quia socius Caij, sed quia amicus est Seij, id totum sibi Titius acquisivit. l. Socium. §. Socius ad finem. ff. Pro socio. Idem dicendum est, si Titius cum causa societatis iter faceret, casu in itinere thesaurum, vel gemmam reperit.

Ex his soluitur difficultas, qua queritur, quid sit dicendum, quando Titius legaverit Caio Parocho, vel quibusdam clericis certam eiusdem Ecclesiae centum aureos, ea conditione, ut eos mercatori dent in societatem, & ex luero, quantum, vel quinque accipiant, ex quibus debita elemosina detur clerico, qui sacrificia offerat. Nauarrus in Manuali. cap. 17. num. 257. iuxta suam illam, quam supra iam exposui, opinionem, respondet, posse mercatori dari, iuris eum eo tribus contractibus, de quibus supra: ac ita centum aureos saluos servabit, quia eos suo periculo suscipiet, & dabit quatuor, vel quinque aureos, quibus emet mercatum, & dabunt lucrum, quod ex centum aureis poterat provenire. At, mea sententia, tres contractus eum eodem mercatore absque specie vlucis sui non possunt: sed cum uno quidem societatis contrahatur, ut cuius centum aurei mercatori dati, sint periculo eius, qui dederit, non mercatoris: & cum alio inbitur alius contractus, quo ille pecunie dante mercatori periculum subibit: & alius contractus eum alio, qui emat mercatum, & dubium lucrum, certo pretio dato: ac ita Parochus, vel clericus quatuor, vel quinque lucrificet: vel centum aureis emetur census, siue annuus redditus, ex quo provenient quotannis, ut minimum, quatuor, vel quinque, vel emetur funus, siue praedium, cuius fructus annui sint, ut minimum quinque, vel quatuor, vel sacrificia fieri, vel offerri queant.

De damnis, & impensis sociorum.

CAPVT V.

PRIMO queritur, Quid sit dicendum, quando Titius, & Caius coeunt societatem, ita ut Titius in commune consistat centum, & Caius suam operam, & diligentiam, & finita societate nihil est lucri, sed centum, quae Titius in commune contulit, salua, & integra manent, An Caius debeat aliquid habere ex centum, ne omnino operam suam perdat? Respondeo, ex vi societatis, si nullum aliud fuerit interpositum pactum, nihil illi deberi, quoniam sicut Caius suam operam perdidit, sic etiam Titius amisit emolumentum, & commodum, quod potuit ex suis centum percipere. Item quamvis opera Caij tamen relinquitur, quantum centum aurei Titij, uterque tamen pecuniam, & operam periculo subicit, quae sicut Caius perdidit operam, sic Titius potuit sua centum amittere. Et tunc ipsi soli perirent, nec Caius ei aliquid reddere egerent. Dices, Caius videtur esse multo deterioris conditionis, quia etiam quando centum aurei Titij perirent, ipse quoque sui laboris, & opera

fructum amitteret. Respondeo, Titium, & Caium pariter esse conditionis, quia si nihil lucri provenierit, & salua sit pecunia Titij, Caius ex labore suo, & opera nihil lucratur, nec Titius ex suis centum aliquid acquirit. Neotericus quidam scriptor tractat. de contractibus. part. 2. cap. 17. praeterea argumento conuictus, docet talem contractum inter Titium, & Caium non esse societatis, quia non sunt socij pares in damno, sed esse locati, & conducti contractum. Caius enim locat Titio suam operam, ac proinde, inquit, si nihil ex negotiatione provenierit, salua, & integra pecunia Titij, aliquid Caio debetur, ut iustum, & integrum pretium suae operae locatae.

Sed enim in utroque, huius Auctoris opinio, partim cum iure ipso, partim cum communi Doctorum sententia pugnat. Nam in l. 1. C. Pro socio. plane, & aperte dicitur, societatem, uno pecuniam conferente, altero operam, posse contrahi. Et in l. Societas. ff. Pro socio, sic est: [Pecuniamque pauperior opera supplet, quantum ei per comparationem patrimonij deest.] Et in l. Si non fuerint. ff. Pro socio: [Pecuniamque tanta est (inquit) industria socij, ut plus societati conferat, quam pecunia.] Idem dicitur in Insti. §. De illa, de societate. Deinde Auctores communiter tradiderunt, socios suo damno, & periculo in commune conferre pecuniam, nisi aliter expresse, vel tacite pactum fuerit, vel nisi consuetudo aliter habuerit. Quare nihil Caio Titius debet, nisi Caius suam operam expresse Titio locauerit.

Secundo queritur, An sit usuraria societas, si Titius det Caio centum, ea conditione, ut si lucrum ex negotiatione proveniant, centum integra Titius habeat, & tres lucri partes accipiat: si vero centum perierint, damnum sentiat. Respondet Sanctus Bernardinus parte 2. serm. 39. artic. 1. cap. 2. versic. tertius quoque: usurarium esse, quia Titius pacificatur, ut pereuntibus centum, damnum solius quarta partis ipse sustineat, Caius vero trium partium. Ergo ex pacto, Titius vult tres partes suae pecuniae saluas habere: nam eo ipso quod pactum est, ut sint periculo Caij, perinde est, ac si Titius Caio eas tres pecuniae partes mutuas dedisset. Idem iuris est, si ego tecum societatem iniero, & triginta in commune contulerit, & tu operam, contumque inter nos est, uti decem sint meo periculo, tuo vero viginti, pactum est usurarium, quia Titius decem tantum in societatem suo periculo dat, & Caio viginti mutuo.

Tertio queritur, Quid sit dicendum, cum Titius centum in societatem conferat, & Caius ponit operam suam, & praeterea quinquaginta, ac deinde in negotiatione centum perierit, quo modo sit damnum communicandum? Respondeo, septuagintaquinque Titio perire, viginti quinque Caio, quod si voluerit Titius, ut damnum sit aequis partibus commune, ita ut quinquaginta ad Caium spectent, usura est, nisi eo ipso Titius velit, ut tota fors pecunaria sit etiam aequis partibus utrique communis.

Quarto queritur, Quae damna in societate communicentur? Respondeo, in primis damnum intelligi, omni luero deducto. l. Mutius. ff. Pro socio, deinde damna, quae ex societate, ipsa tamquam ex causa descendunt, communia sunt, non tamen ea damna, quae socij sola occasione societatis sentiunt. Angelus in verbo Societas. 1. numer. 15. Siluester eodem verbo. 2. quasi. 9. Armilla eodem. num. 12. ex Bartolo, & Baldo l. 2. C. Pro socio. Verbi gratia, si Titius pro societate laborans, diripiatur a latronibus, vel naufragium patiat, vel corripatur morbo, vel capiat ab hostibus, & amittat ensam, vel vestes, vel munus, vel si redactus in feritatem, redimat se suis pecuniis, vel amicorum: nam haec damna debent esse communia. l. Cum duobus. §. Damna. ff. Pro socio. Vnde in l. Socium. §. Socius. ff. eod. titul. dicitur: Si socius legatum sibi Partis praetermisse, quia diligentis occupationibus proficisco non potuit ad petendum, & suscipiendum legatum, societati non imputatur. Si occupatus inidem societatis negotiis patrimonium suum negligentius administravit, quoniam, id salua fide societa-

titis, non potuit, nequaquam fit commune huiusmodi damnum societati. Item quia tecum societatem coiti, Titius, qui tibi erat inimicus, mutavit testamentum, in quo me heredem scripserat, aut cum id facere deliberasset, non fecit, damnum hoc non debet esse commune. Præterea damnum personæ commune non fit cum socio: veluti si cui ex sociis fractum est crus, vel brachium, vel debilitatum membrum; aut si serus, vel famuli, vulnerati, vel debilitati sunt, nisi quantum ad id, quod est in medicos impensum, aut quatenus serui sunt minoris æstimationis effecti, quia minus utiles, & apti. *l. Cum duobus. §. Damna. ff. Pro socio.* Damnum itidem, quod dolo, vel culpa Titij contingit, non fit eum altero socio commune: Ut si Titius societatis causa, iter faciens, eam viam dolo, vel culpa ingressus est, quam non periculis expositam, eum tamen tutiorem aliam viam eligere potuisset, nè in latrones incidere.

Quintò quaeritur, An inter socios pactum esse queat, ut vnus duas lucris partes habeat, & damni tertiam tantummodo partem sentiat, alter duas damni partes, tertiam verò lucris partem ferat? De hac controuersia dixi supra.

Sextò quaeritur, An valeat pactum, quo inter socios conuentum est, ut qui ex eis minorem portionem in societatem contulit, æqualem habeat lucris partem, atque ij, qui maiorem portionem impenderunt? Corneus *consil. 187. libro 3. vers. Nec obstat, quod illi tres*, ait, huiusmodi pactum valere. Sed hanc sententiam *lib. 3. Variarum resolutionum cap. 2. num. 3. vers. ex hoc dubio*, confutat Couarruias. At profecto Corneus suam opinionem confirmat auctoritate Bartoli in *consil. 98. Saliceti in l. Mutius. ff. Pro socio, numero 8. & Glolle, & Raphaelis Fulgosh in l. Si non fuerint. ff. Pro socio.* Dicendum mihi videtur, quando vnus pecuniam in commune confert, alter suam operam tantum, quæ plus æstimatur, quam pecunia, tunc lucrum esse posse commune, non item damnum fortis, siue capitis, quod in societatem confertur: quia potest is, qui operam ponit, eam alteri socio locare minori pretio. At verò quando sociorum singuli suam pecuniam in commune impendunt, tunc pactum non valet, ut qui minorem portionem contulit, sit æqualiter lucris particeps.

Septimò quaeritur, An portio sit iniqua inter socios, quorum quisque ex suo patem portionem in societatem deducit, ut imparem lucris portionem habeat? Corneus, & Couarruias dicunt iniquam esse portionem. Certè id locum habet in his, qui pares pecuniarum partes, & fortis in commune contulere; non tamen in his, quorum vnus solam operam suam, vel diligentiam adhibet, quia tunc potest eam sociis locare minori pretio, quam sit lucris portio ex negotiatione descendens.

Octauò quaeritur, Quæ impensæ sociorum debeant esse communes? De hac te Angelus in *verbo Societas. i. numero 12. Siluester eodem verbo. i. quæst. 12. Armilla eodem verbo. num. 13.* Respondeo in hunc modum: In primis, is qui operam suam in commune collocat, impensas habere debet ex ipsa societate; vel si nauiget, vel iter ad nundinas suscipiat, Baldus, Cynus, Paulus, Salicetus *l. i. Cod. Pro socio.* Verum dubiæ quaestionis est, an deducere eas impensas debeat, quas alioqui domi suæ fecisset? Nauarrus in *Manuali, capite 17. numero 383.* sentit eas non oportere deducere. Siluester *verb. Societas, primo. quæst. 12.* vult eas oportere deducere. Nobis verò videtur non oportere deducere, quando de hac expressè inter socios conuenit, aut quando gentis, vel populi consuetudo habuerit, ut sint communes. Alioqui vera est Siluestri sententia. Impensæ itidem causæ societatis fieri dicuntur, quando sunt necessariæ, vel utiles societati: ut si conducantur iumenta, vel nauigia ad merces exportandas, vel traiciendas, vel dolia ad asseruandum vinum, mel, vel oleum, vel horrea ad frumentum recondendum; vel si aliquid impendatur ad merces ipsas meliores redendas. Illæ item impensæ, quas facit vnus ex sociis

iter faciens pro societate, vel cum famulos conduxit, velitorum opera utatur. Si quid itidem impendat in medicos, quia laborans pro societate in morbo incidit. *l. Cum duobus. §. Damna. ff. Pro socio.* Quæres, quid dicendum, si margarita tibi vendendo dederò, ut si ea deceti vendidisses, redderes mihi decem: Si pluris, quod excedit, tu haberes? mihi videtur, si animo contrahendæ societatis id actum sit, pro socio esse actionem: sin minus, præscriptis verbis. Et in *l. Si vnus ex sociis rem communem vendiderit, consensu sociorum pretium diuidi debet, ita ut ei caueatur, indolem eum futurum. Quod si iam damnum passus est, hoc ei præstabitur. Sed quid dicendum, cum vnus sociorum alterum in societatem admittit in sociis reliquis sociis? l. Qui admittitur. ff. Pro socio, ita legitur: [Qui admittitur socius, ei tantum socius est, qui admittit. Et rectè. Cum enim societas consensu contrahatur, socius mihi esse non poterit, quem ego socium esse noui. Quid ergo si socius meus cum admittit? Et soli socius est.] Sic ibi. Sed quid itidem de socio iudicandum, qui rem communem in negotiationem datam, in suos vtus conuertit? *In l. Rei communis. ff. Pro socio, dicitur: [Rei communis nomine cum socio furti agi potest, si per fallaciam, dolbove malo amouit, vel rem communem celandi animo contraxerit.]**

Quot, & quibus modis societas finitur.

CAPVT VI.

PRIMO quaeritur, Quibus modis iure communi societas dirimatur? Respondeo, quinq; modis: renuntiatione, morte, negotiatione, siue publicatione bonorum, eorumdemque cessione. *l. Societas in corre. & l. Si Titius. §. Societas. & l. Actionem. ff. Pro socio. Instit. de societate. §. Item.*

Secundò quaeritur: Quomodo societas renuntiatione soluat? *Instit. De societate. §. Manet,* societas dirimatur voluntate, & consensu sociorum. Fit autem renuntiatione duobus modis, expressè, & tacite: Expressè quidem, quando socij specialiter societatem ex communi consensu dissoluant. Tacite verò fit renuntiatione, cum separatim socij simul agere, & negotia ceperunt, hoc est, quisque sibi. *l. Itaque eum separatim. ff. Pro socio.*

Quæres, quid si vnus tantum sociorum renunciet societati? Respondeo in primis; Si id dolo male fecerit, ut commodium, vel lucrum obueniens, quod ipse fortassis nouit sociis in sociis, solus habeat, is nihilominus lucrum cum aliis communicare debet. *l. Actione. §. diximus. ff. Pro socio.* Quid si non omnes socij renuncient, verum eorum aliquis dilentiat? Respondeo, renuntiare omnes oportere, ut dissociati intellegantur; alioqui si vnus tantum dilentiat, socios à se quidem liberabit, se autem ab illis non item. Et ideo si quid lucris postea factum sit, eius partem non capit: at si damnum acciderit, eius esse debet ex quo particeps, nisi renuntiatione necessitate quadam facta sit. *l. Actione. §. Hæc ita. ff. Pro socio.* Renuntiatione fit per ipsum socium, non per eius dominum. *l. Si id. §. si seruus. ff. Pro socio,* & fit socio præsentis, non absente. Vnde vnus ex sociis cum renunciat, reliquos debet certiores facere, si in sociis illis sit renuntiatæ societas, quoad rescierint, lucrum, quod acquisierit is qui renunciat, commune esse debet: damnum autem, si quod euenerit, illius solum erit, qui renunciat. *l. Sed & si socius. §. si absenti. ff. Pro socio.* Verum poteritne quis per procuratorem renuntiare? Potest per procuratorem, siue specialem, siue generalem, qui liberam habet bonorum administrationem. *l. Actione. §. Renuntiare. ff. Pro socio.* nisi prohibuerit eum dominus specialiter renuntiare. Item curator futuri hominis potest renuntiare. *l. Sancimus. C. Pro socio.* Quid si procuratori vnus sociorum renuntiatione facta sit? Respondeo, Si procurato-

tori vnus socij fuerit renuntiatum, non obesse abfenti renuntiationem, priusquam socius abfens eam fuo procuratori factam habuerit ratam. *l. Actione. §. Item scriptum. ff. Pro socio.*

Tertio quaeritur, quomodo societas finitur morte? Respondeo, finiri, si vnus ex sociis moriatur. *l. Actione. ff. Pro socio:* quod quidem locum habet, non solum in morte naturali, sed etiam civili, vt puta, si socius maximam, aut mediam capitis diminutionem passus sit. *l. Verum. §. Societas. ff. Pro socio.* Vnde fit, vt societas dissoluatur vno ex sociis refectione solenni voto proficiente. Morte autem ita dirimitur societas, vt nec pacto quidem ad heredem transire possit. *l. Adeo. & l. Nemo. ff. Pro socio.* Hoc locum habet in priuatis societatibus: nam in societate veltigalium nihilominus manet societas post mortem alicuius, sed ita demum, si pars defuncti ad personam heredis eius ascripta sit, vt heredi quoque conferre oporteat, quod ipsum ex causa assignandum. Ad heredem igitur transit societas veltigalium, quando inter socios conuenit, vt transeat ad heredem societatis: ita tamen vt haeres sit persona idonea. *l. Adeo. & l. Verum. §. In heredem. ff. Pro socio.* Ratio huius est, quia certam personam elegit, qui contrahit societatem, & sepe contingit, vt haeres tam idoneus non sit, atque erat defunctus socius.

Quarto quaeritur, Quo modo distrahatur societas sine, & exitu negotiationis? Certè etiam societas causa negotiationis contracta sit, eo ipso finitur negotiatione dissoluitur. *l. Actione. §. Item si alicuius. ff. Pro socio.* Dimittit quoque societas rebus, quæ sunt in commune collatae, omnino peremptis: nam sicut mortuus personis finitur, sic etiam extinctis rebus. *l. Verum. §. Societas. ff. Pro socio.* Quares, an etiam societas soluatut pereunte forte principali? Respondeo, solui, nec cogitur, qui fortem in commune contulit, iterum fortem in societatem dare, eò quod sit finita societas.

Quinto quaeritur, Quo modo finitur societas publicatione bonorum? Profeclo si bona socij ob delictum publicentur, socius non cogitur cum fisco societatem inire. *l. Actione. §. Publicatione. ff. Pro socio.* Denique si vnus ex sociis re alieno oppressus cessent bonis suis, desinit societas. *l. Actione. §. r. ff. Pro socio.* Soluitur quoque societas contracta cum seruo manumissione, vel alienatione: quod si in eadem, mutato statu, seruus permanferit, alia inchoatur. *l. Si id. §. ff. seruus. ff. Pro socio.*

De societate animalium, quam vulgò foccitam appellant.

CAPVT VII.

DE societatibus animalium agunt S. Bernardin. *par. 2. serm. 40. art. 1. cap. 1. 2. & 3. & art. 2. cap. 1. 2. & 3. S. Antoninus par. 2. titu. 1. cap. 7. num. 39. & sequentibus.* Petrus Perusinus in *tract. De duob. fratrib. par. 5. q. 2. 4. & sequentibus.* Angelus cognomento de Periglis *tract. De societatibus. par. 2.* Conradus de *contract. q. 88. vsque ad questionem 91.* & Angel. Siluest. in *verb. Societas 2.* Rosella 3. Pisanella *vsura 2.* Fabienus *vsura 3.* Arnulla *societas. num. 10. & seqq.* Iurisconsulti partim in *l. in cap. Pro socio, partim in l. Si paciscenda. Cod. De pactis.* Asten. in *Summa. part. 1. lib. 3. titu. 12.*

Primo quaeritur, quorum animalium soleat societas contrahi? Respondeo, maiorum, & minorum animalium, hoc est, armentorum, vt equorum, bouum, asinorum, & peregum, vt ouium, caprarum, porcorum. In his societatibus communiantur fetus animalium, lac, butyrum, lana, pelles, & alij generis fructus. Communiantur quoque impensæ, quæ fiunt, & damna, quæ euenerint. Præterea huiusmodi societates, quando sunt animalium maiorum, contrahi solent ad quinquennium, quando minorum, ad triennium. Angelus, *Societas 2. nu. 5.* Siluest. *cod. verb. 2. q. 6.*

Instit. Moral. Pars 3.

Secundo quaeritur, Quot modis soleant animalia dari, & tradi? Respondeo, multis modis: Aut enim mutua dantur, aut venduntur, aut locantur, aut dantur in societatem. Hanc quaestionem agit Conradus de *contract. q. 88. vsque ad 91.* Et Angel. & Siluest. in *verb. societas 2.* & ceteri superius allati scriptores.

Vt ad primum veniamus: Animalia dari solent in modum locationis, & conductionis: & hoc dupliciter: aut enim qui dat animalia. V. g. qui dat centum oves rustico, est locator animalium, puta, ouium: aut est conductor operæ, quam ipsi rusticus locat. Est locator ouium, quia eas rustico locat ad aliquos vsus certo pretio à rustico accepto. Locat enim eas rustico, vt ipse rusticus ex iis colligat fætus, lanam, lac, & pelles: aut vt suum agrum stercoret, aut conducit rusticus tauros, vel equos, vt vaccas suas, vel equas fecundet, vel vt agros suos colat. Et tunc is, qui tradet oves, vel alia animalia, & qui recipit, tenentur legibus, non societatis, sed locati, & conducti. Et proinde qui centum oves dat, nihil participare potest nisi pretium locationis iustum, & debitum. Si igitur oves suas pretio locauit rustico, potest vel totum pretium, vel pretij partem à rustico exigere in pecunia, aut in fructibus ouium, & tunc, siue proueniat fructus ex animalibus, siue sit item fructus copiosus, & magnus, siue tenuis, & parcus, is qui dat animalia, debet aliquid vt iustam mercedem habere, quia non dedit animalia in societatem, sed locauit. Item sicut dominium animalium penes se retinet, sic etiam periculum, & damnum sustinere compellitur. Conductor verò tenetur ex dolo, & culpa etiam leui, quia contractus est in bonum vtriusque; non tamen ex culpa leuissima, vel ex casu fortuito. Item quando is, qui recipit animal, locat operam suam ad custodiendum, & pascendum animal, debet iustum pretium habere, si ille exigat.

Tertio quaeritur, An cum Titius animal dat Caio in locatum, possit cum eo pacisci, vt Caius omne periculum suscipiat, ita vt in omnem euentum reddere debeat quantum animal valet, cum casu fortuito perierit? Rosella in *verb. vsura. 2. num. 1.* Pisanella *cod. verb. §. 1. in Addit. 2.* Siluest. *societas 2. q. 2.* sentiunt, pactum hoc esse quidem præter, non tamen contra naturam locationis, ac proinde non esse ex ipsa rei natura iniuriam; sed euitandum tamen ac fugiendum, quia est in fraudem legis, & quia habet speciem vitiæ. Non esse contra naturam locati, & conducti probant illi auctores, quia *ex cap. 2. de deposito, & ex l. in nauis, & l. Qui mercedem, ff. Locati.* potest conductor rem locatam suo periculo suscipere. Conradus de *contractibus. q. 91. Coroll. 2. concl. 2.* videtur docere, iniuriam esse ex natura rei pactum, quia perinde est, ac si Titius mutuum dedisset Caio tantum pecuniam, quantum valet animal, vt tantumdem sibi reddat Caius, & præterea mercedem: tum etiam quia idem esset, ac si Titius Caio vendidisset animal, expectata ad tempus solutione pretij, & ob id plures vendidisset.

Dicendum existimo; In primis, si Titius animal det Caio non ad omnem, sed ad certum vsum, vt videlicet agrum suum colat, aut vt onus portet, & vehat: vel ad quemlibet alium vsum, non eum, quo res confestim consumitur, & perimitur, aut venditur, & alienatur, tunc pactum non est contra, sed præter naturam locati, & conducti: *& hoc colligitur ex capite 2. de deposito:* idemque, quantum ego quidem conicio, dicere voluerunt Rosella, Pisanella, & Siluest. Nec tamen Conradus contrarium his sensit, & dixit. Hoc etiam ratione ipsa confirmari videtur: nam tunc conductor rem locatam non recipit in omnem vsum, sed in certum, vt ipsi interuiat, salua, & integra substantia rei: ac proinde si re aliter vitatur, peccat contra leges, & iura locati, & conducti. At verò si conductor animal recipiat in omnem vsum, etiam eum, quo statim res consumitur, & perit, aut distrahitur, & alienatur, ita vt tantumdem reddere cogatur, quanti animal estimatur, siue deterius sit factum, siue secus, ac etiam si casu fortuito perierit, videtur ex natura rei vfurarium esse pactum. Et hoc est quod argum. Conrad. probare contendunt: hoc enim perinde est, ac si Titius Caio animal mutuum da-

K k ret,

ter, aut venderet plus credito ad tempus pretio. Itaque in hoc pacto locum habet id, quod est in capite secundo de deposito, & in l. in huius. ff. Locati: quia ea terra locum habent solum in re, que locatur ad certum usum, quo non statim consumitur substantia rei. Postremo, quodcumque Titius animal Caio locat, ita ut eius periculum Caius sustineat, necesse est Titius mercedem minuat, & quo maius minusve periculum Caius suscipit, eo maiorem minorémve mercedem Titius potest exigere: alioquin iniquum est pactum: nam oneris quod suscipit, iustam debet mercedem habere.

Quartò quæritur, An cum animal datur in locatum, vel custodiam pactum esse queat, ut lucrum & damnum commune sit danti, & recipienti? Rosella, Pisanelia, & Siluester locis supra citatis, respondent posse tale pactum dari, quia fieri potest, ut opera, diligentia, cura, & custodia, quam locat is, qui animal recipit, tantam mercedem mereatur: tum etiam, ut tantum pretium debeatur ei, qui animal locat alteri: sicut enim animal melius factum, in bonum vtriusque est, sic factum deterius, commune quoque est detrimentum, & damnum. Sed pactum, inquit, iniquum est, ut totum damnum, nisi ex dolo, & culpa etiam leui conductoris eueniret, sic eius, lucrum non item.

Quintò quæritur, An cum animal in locatum datur, æstimatum tamen, eo ipso transeat in mutuum, aut venditum? De hac questione Conradus de contractibus. quest. 87. conclus. 4. ubi dicit, duas esse sententias. Una est Hostiensis cap. 1. de commodato, Bartoli, Accursij in l. Si ut certo. ff. Nunc videndum est. ff. Commodati, & aliorum ascensionem transire in venditum: quia æstimatio, rei venditionem facit. L. Plerumque. ff. De iure dotium, & L. Æstimata. ff. Solutio matrimonio. Altera est sententia Iohannis Andree, & aliorum, contrarium affirmantium, eâ ratione, quod æstimatio in hoc casu venditionem non parit, quia solum æstimatio fit, ut si animal conductoris dolo, vel culpa perierit, iustum pretium reddat, non autem soluat in omnem euentum, videlicet, si animal fortuito casu perierit: nam si hoc quoque conuentum, & cautum fuerit, tunc animal in venditum, siue mutuum transibit, hoc est, quando is, qui animal recipit, expressè promittit se redditurum tantum, quantum est æstimatio: aut promittit se redditurum idem animal, vel pretium eius, venditio est, non locatio. Et tunc habet locum, quod dicitur in l. Plerumque. ff. De iure dotium. & valet sententia Hostiensis, & Bartoli, quando autem solum is, qui locat, æstimationem facit, conductor vero non promittit se redditurum tantum, quanti animal æstimatur, non est venditio. Hæc ex Abbate in cap. 1. De commodato. num. 23.

Sextò quæritur, Quando animal intelligitur datum in mutuum, non in locatum, nec in societatem? Respondet Conradus de contractibus. q. 88. conclus. 4. tunc dari mutuum animal, quando libera datur facultas ei, qui recipit, ut eo utatur, sicut voluerit, ita ut possit illud distrahere, & vendere, ita tamen, ut tantumdem, quantum valet ipsum animal, reddere debeat: tunc enim perinde est, ac si Titius Caio daret tantam pecuniam, quanta animal æstimatur, ut tantumdem reddat, quantum est datum. Et ideo si Titius ex animali sic dato lucrum exigat, usurarium est lucrum, quia idem est, ac si decem aureos mutuo dedisset, ut vndeque reciperet. At obiciens, animal non est propriè res, & materia mutui, ergo in mutuum non datur. Respondet, animal dari in mutuum, non expressum, sed tacitum, & implicitum, quia datur eo pacto, ac si mutuo daretur.

Septimò quæritur, Quid sit dicendum, quando Titius centum oves dat Conuentui, siue collegio Monachorum, vel clericorum, eâ conditione, ut ex qualibet ovis quotannis, dum vivit, habeat duos solidos, siue aureos: cum tamen singule oves quotannis fructum reddant quatuor, vel quinque solidorum, vel aureorum: eâ etiam conditione, ut si omnes oves pereant, nihilominus ipse habeat, dum vivit, singulo quoque anno duos solidos, vel aureos, & post obitum

suum omnes oves, etiam valde multiplicata, ad ipsum conuentum, vel collegium pertineant. Conradus quest. 88. conclus. 3. dicit talem contractum esse permutationem, quia Titius commutat centum oves cum censu vel reditu annuo duorum solidorum ad vitam, & perinde est, ac si commutasset suas oves cum fundi, vel agri usufructu ad vitam. Angelus verò, Siluester, Pisanelia, Rosella, locis citatis, & alij dicunt huiusmodi contractum esse certum venditionis, seu locationis genus, quia Titius vendit oves suas Monachis, & Clericis accepto certo pretio ad vitam. Profecto inter omnes conuenit, hunc contractum non esse societatem, nec enim Titius in commune confert oves: sed esse contractum iustum, eò quod pars conditionis sunt Titius, & Collegium Monachorum, vel Clericorum, eò quod incertus, & dubius est euentus: nam si Titius statim obierit, confestim collegium centum ovium totum commodum, & fructum habebit. Quod si diu vixerit, quamvis Ecclesia quotannis soluat annuam pensionem, damno non afficitur, quia oves ferèbus multiplicatur: nec potest Ecclesia restitutionem petere, tamen oves perierint, nisi forsitan illæ infectæ fuissent, & morbundæ, quod malum non uouisset Titius, vel minimè aduertisset. Siluester in verbo Societas, num. 8.

Octauò quæritur, Quando animal in venditum dari intelligatur? Respondet, animal tunc vendi, quando datur, ut pretium reddatur, non ipsum animal, tunc enim expressa est venditio, certo pretio eius expectato. Implicitè verò tantum venditur, cum totum lucrum, periculum, & damnum est eius, cui datur. Cum item datum est animal ad omnem usum, quem voluerit is, qui recipit, si datur indem æstimatum, & is qui recipit, promittat se redditurum tantum, quanti est æstimatum, vel promittat se redditurum vel ipsum animal, vel pretium eius. Et hinc est, ut is, qui dat animal, nihil præter pretium possit exigere, quia vendit dilata ad tempus solutione pretij: quare si aliquid vitæ pretium acciperet, vitæram committeret, quia plus vendit, quam valet, quo ad pretium solutionis expectet. At verò si pretium minueret, aut si præter animal etiam pacta daret, tunc posset præter pretium exigere, vel tac, vel lanam, aut fœtus, ut sic iustum, ac debitum pretium compenfer.

Nonò quæritur, Quinam contractus sit, cum animalia dantur, ut meliora fiant, & deinde communicentur ipsa animalia, lucra, fructus, fœtus, damna, & impensæ? Respondet, in l. Si tibi area. ff. De præscript. verbis, sic habet: [Si tibi area meæ dominum dederit, ut infula ædificata mihi partem reddas, neque emptionem esse, quia pretij loco partem rei meæ recipio; neque societatem, quia nemo societatem contrahendo, rei suæ dominus esse definit. Sed si puerum docendum, vel nutriendum, vel pecus pascendum tibi dederit, ita ut si post certos annos venisset, pretium inter nos communicaretur, eò quod hic dominus esse non definit, qui prius fuit, competit pro socio actio.] Et paulò inferius: [Igitur & si quis area dominium non transtulerit, sed pascuis sit te se ædificare, ut communicaretur vel ipsa, vel pretium, erit societas.] Dicendum igitur est, quando datur animal, ut melius fiat, & deinde commune sit vna cum fructu, & commodo eius, & elapso tempore, quod est constitutum, melius factum non est, debet integrum restitui ei, qui dedit, quia datum est ex causa: ea igitur non secuta, restituitur. ff. De condiç. causa data, causa non secuta, l. 1. nisi absque dolo, & culpa eius, qui accepit, vel deterius factum sit, vel perierit. At si melius redditum sit, tunc pretium, si vnerit, commune est: animal enim est commune factum, ac proinde is, qui dedit, alterum fecit etiam dominum animalis, ita ut vterque sit in solidum dominus. Et proinde emolumentum est commune, ut etiam damnum, & periculum, & fructus animalis. Et si Titius, & Caius animo, & voluntate contrahenda societatis id fecerint, eo ipso constituta est societas, sin minus, contractus est innominatus: videlicet, Do, ut facias; vel Facio, ut des.

Decimò quæritur, Quando animalia dari intelligatur in locis-

societatem? Respondeo, tunc, quando dantur, vt commoda, alimenta, fructus, impensa, & damna sint communia. Veluti si Titius dederit Caio 100. oves ad triennium, eà conditione, vt fetus, lac, & alia huiusmodi, inter eos diuidantur. Sed quenam, & quot conditiones in huiusmodi animalium societatibus requiruntur, cum scilicet Titius dat Caio 100. oves, & Caius operam suam in commune conferat? Respondeo, tres, vt minimum, conditiones necessarias esse: Prima est, vt animalia sint periculo eius, qui dat in societatem; ita vt si casu fortuito pereant, ipsi pereant, non socio: & hoc siue ex parte, siue in totum pereant; immo si deteriora fiant, detrimentum etiam est eius, quoniam is, qui dat in societatem animalia, non desinit esse dominus: at verò si dolo, vel culpa socij pereant, vel deteriora reddantur, damnum, & detrimentum spectat ad socium.

Altera conditio est, vt inter socios in omnibus seruetur æqualitas, vt videlicet impensa, lucra, & damna sint inter eos communia, ita vt singuli ex æquo participent lucrum, & damnum, pro vt plus, minusve ex suo in societatem deduxerint. Tertia conditio est, vt societas ipsa in bonum contrahatur.

Sed dubia quæstionis est, an possit esse pactum, vt is, cui dantur animalia, suo periculo suscipiat, non quidem ex vi societatis, sed ex pacto: quod est querere, an tale pactum, sit contra naturam, & substantiam societatis? Communis est omnium Theologorum, & Iuriconsultorum opinio, esse contra naturam, & substantiam societatis, quia ius societatis est quodammodo ius fraternitatis; at inter fratres vnus non totum periculum sustinet, & alter solum lucrum. Si roges, an saltem vi alterius contractus, qui vulgò dicitur alicuratio, possit socius, cui dantur animalia, suo periculo suscipere, ita vt ratione huius oneris, quod sustinet, debitam mercedem accipiat, vel ex lucro, vel ex aliqua alia re. Hæc quæstio est eadem, atque illa, quam superius tractauimus de Societate negotiationis, in qua duas commemorari sententias, vnã affirmantem, eam, qui in commune pecuniam confert, posse cum socio pacisci, eam, vt suo periculo suscipiat, alteram negantem id fieri posse. In præteritò verò quæstione Angelus in verbo Societas 2. num. 3. ait, quamuis id fieri queat in societate negotiationis, non tamen in societate animalium. Non est, inquit, idem iuris in vtraque societate, quia pecunia, quæ in commune confertur, aut perit, aut salua manet, nunquam tamen melior redditur. At verò cum in societate animalia dantur, si salua manent, meliora fiunt: sed contra naturam societatis est, vt totum emolumentum, & commodum animalium, sit vnus, alterius verò sit totum periculum, & damnum. At Siluester in verbo Societas. 2. q. 8. §. 3. licet cum Angelo sentiat, in societate negotiationis tale pactum iustum esse, sentit tamen etiam idem iuris esse in societate animalium.

Mihi verò probabile quidem videtur licitum esse pactum, siue in societate negotiationis, siue in societate animalium: sed tunc esse, quod plerique docent, in vtraque societate pactum, quamuis non re ipsa, specie tamen, & prima facie iniquum videri, & contra substantiam contractus. In societate quidem negotiationis, quia pecunia, quam socius suo periculo suscipit in negotiationem, eo ipso transire videtur in mutuum, quia datur ex pacto, vt ea socius vtatur in negotiatione, ac proinde impendat eam: quare eo ipso, quod suo periculo impendit, factus esse videtur eius dominus. In societate verò animalium, quamuis animalia non consumantur vsu, vt etiam pecunia, nequeunt tamen, absque specie, & imagine vsuræ esse periculo eius, qui recipit, quia id esse videtur contra substantiam societatis, vt vnus lucrum tantum sentiat, non damnum; alter verò totum damnum, & periculum sustinere cogatur. Nihilominus tamen societas cum tali pacto est frequenti vsu recepta.

Quæres itidem, An possit esse pactum, vt animalia, quæ dantur, sint communia vtrique socio, & an conuenit esse queat inter socios, vt periculum, & damnum animalium

sit commune? Respondeo, vt nunquam pactum esse præter, nõ contra naturam societatis: quia societas contri potest eà conditione, vt fors, quam vnus in commune confert, cum altero communicetur, cum non desinat esse dominus eius fortis, & alterum quoque fecerit ex æquo dominum eiusdem fortis, & lucrita vt Titius, qui centum oves dat Caio, non abdicet se dominio, & faciat, vt Caius quoque sit earum ouium dominus. Sciendum itaque est, quodcumque pactum est, vt damnum animalium sit commune, conuenit quoque esse tacite, & implicite, vt & ipsa animalia sint communia: ac proinde si salua manserint centum oves, quinquaginta Caius habebit, & alia quinquaginta ad Titium pertinebunt. Et è contrario, si inter socios conuenit, vt centum oves sint communes, conuenit quoque est, vt commune sit damnum, & periculum: ac proinde, si omnes oves perierint casu fortuito, Caius soluet Titio quinquaginta.

Vnde citò queritur, Quid sit iudicandum, quando Titius Caio dat æstimatas centum oves, venditane, an in societatem data, sunt intelligenda? Siluester in verbo Societas. 2. q. 6. §. 5. respondet eas tunc venditas esse Caio, quia æstimatio venditionem facit. l. æstimata. ff. Solutio matrimonio, c. l. Plerumque. ff. De iure dotium, & proinde Titium nihil aliud expectare posse, nisi pretium, quo æstimatae sunt. Sed distinguendum existimo: Aut enim dantur oves æstimatæ simpliciter, aut æstimatae eà conditione, vt si casu fortuito perierint, Caius pretium reddat, vel eà pactione, vt reddat pretium, vel totidem oves. Si dantur æstimatæ simpliciter, non censentur venditæ, sed in societatem data. Non enim facta est æstimatio, vt Caius in omnem euentum pretium soluat, vt reddat totidem oves; sed, vt si, dolo, vel culpa Caj perierint, reddat totidem oves, vel pretium: ac quando dantur æstimatæ secundo modo, tunc venditio esse intelligitur. Et in hoc casu æstimatio facit emptionem, vt colligitur ex l. æstimata, c. l. Plerumque, superius allegatis. Et hoc docuerunt Ioan. Andreas, & Pauromitanus in cap. 1. de commodato.

Duodecimò queritur, Quid sit iudicandum, quando Titius dat in societatem Caio suam operam ponenti centum oves, eà conditione, vt si quæ ex illis perierint, totidem restarentur ex fertibus, ita vt quamdiu societas durauerit, centum conferentur, & reliqui fetus inter ipsos æqualiter diuidantur? Inter omnes conuenit teste Siluestro in verbo Societas 2. q. 9. §. 2. Idque Angelus affirmat eodem verbo. 2. num. 3. ad finem. pactum hoc non esse vsurarium, quia conuenit non est, vt centum oves, quas Titius in commune confert, Caius suo periculo suscipiat, ac proinde pactum nõ est, vt fors principalis sit salua: nam si omnes perierint, Caius nihil Titio soluere compellitur, & proinde periculo Titij perierint.

Illud dubia quæstionis est, an pactum sit iniquum, hoc est contra societatis æquitatem: quidam affirmant, eò quod plus oneris sustinet Caius, quam Titius, quoniam cautum, ac conuenit fuit, vt totidem oves repararentur ex fertibus, quot perissent. Sic Vldaticus, & Ioanes Lignanum apud Siluestrum loco citato, idem pariter docere ipse Siluester, & Angelus superius allegati, & Tabienfis Vsuræ 3. nu. 6. in fine, qu. 5. Aliis tamen visum est id pactum esse iustum, & æquum, quia reuera maus non videtur esse onus, siue periculum, siue damnum Caj, quam Titij: quoniam quod totidem oves subrogentur ex fertibus, quot perierint, non solum est commodum Titij, sed etiam Caj: eius enim interit, vt centum ouium numerus integer conferretur, quia eo ipso erunt plures fetus, & plus lactis, lanae, & pellium: quæ omnia bona sunt communia. Item quia non est pactum, vt quæ perierint, repararentur impensis Caj, sed ex communi fetu, in quo Titius, & Caius æqualiter damnum, & lucrum sentiant.

Prima opinio iniquum esse pactum arbitrat eò, quod illud sic intelligit, vt oves sint reparandæ ex fertibus, ita vt subrogentur in locum earum quæ perierint, & nihilominus quæ subrogate sunt, pertineant ad Titium, hoc est, sint iplus, & non communes Titio cum Caio: tunc enim videtur

deur esse plus oneris impostum Gaius, cum debeant semper totidem suppleri, quot deerunt: & eo ipso Caius fere semper perdet suam operam in totum, vel ex parte. Secunda sententia pactum illud interpretatur sic totidem, ut reparatur ex communi factu: ita ut quæ restaurantur, communes sint; & non propria Titij, & ita pactum est iustum, quia quotquot suppleantur, ad Titium, & Caium communitè pertinent. Ex his perspicitur, usufructum pactum esse, si inter Titium, & Caium conuenierit, ut quotquot perierint, Caius reparat ex suis, & non ex communi: nam tunc Titius perit, ut fors sua sit ex parte salua.

Sed quid iudicandum, cum pactum fuerit, ut reparatur ex primis scetibus quotquot perierint? Dux sunt etiam hoc loco sententia, quarum una, iniustum esse pactum affirmat, altera negat. Dicendum videtur, si cautum sit, ut ex primis scetibus suppleantur oues admittæ, ita ut quæ sufficiantur, sint propria Titij, non communes, iniustum est, quia plus oneris Caius sustinere cogitur, sæpius enim suum laborem, & operam perdit. Si verò pactum sit, ut oves sint communes, æquum est, quia Caij etiam interest, ut hoc modo, quæ desiderantur oues, suppleantur. Item si Titius, & Caius æqualem ouium numerum in commune conferunt, iuste paciscuntur inter se, ut quotquot interierint, ex communi fœtu suppleantur, quia tunc lucrum, & damnum est æquale.

Decimotertio queritur, Quid sit dicendum, quando Titius dat Caius in societatem animalia, & simul dat agrum, & terram, quam arat, & colat? Respondeo, idem ius esse de hac societate: Videndum enim est, uter eorum, Titius an Caius plus ex suo in societatem dederit: nam qui plus minusve attulerit, plus minusve lucri, vel damni sentiat. Deinde inspicendum est, an Titius det animalia æstimata, an solum ex conditione: si quidem hæc æstimatio facit emptionem, illa non item. Denique idem iudicandum est de his societatibus, quod de ceteris iam diximus.

Decimoquarto queritur, Quomodo sit diuisio faciendæ animalium societate finitæ, quando nihil est expressè conuentum inter eos, qui coierunt? Respondeo, tunc intelligi æquum, quod solutum est fieri. *l. Quod si nolit. §. Quia æstimata. ff. De æstimo edicto.* Quod si nullum est pactum, nec aliquis est consuetudo in loco, ubi societas contrahitur, tunc arbitrio boni viri ea res iudicari debet, ita ut seruetur id, quod habetur in *l. Secundum naturam. ff. De rog. iuris:* videlicet, ut socij in lucro, & damno sint pares: hoc est, quo quisque plus minusve ex suo in societatem dederit, plus, minusve damni, læcive participet.

De societatis officiorum, & primum, quo modo contrahantur.

CAPVT VIII.

DE societatis officiorum nihil expressè scriptores veteres tradiderunt, eò quòd tunc temporis huiusmodi societates in more, & vsu non erant. Sotus *lib. 6. de iustitia. quest. artic. 2. ad finem.* pauca quædam breuissime attigit, quem sequuntur Ioseph Angles in *sua Floribus questionum Theologicarum, in questione de contractu societatis sub 3. & 4.* Paulo exactius de hac re tractauit Philarchus in *suo Manuali Sacerdotum, cum agit de Vsuris, in cap. Quibus modis fiat usura palliata, & Nauarrus in consilio par. 2. tit. De usur. cons. 25. & cons. 27.* & libellum edidit de his societatis Virginius Bocanius, & tractatum longiorem conscripsit Franciscus Castracianus, vterque Iurisconsultus.

Societates officiorum sunt vsitate in Curia Romana, & extra Curiam in Italia, quamuis non sint ita frequentes.

In Romana igitur Curia sunt multa officia, ut Notarium, milium, siue equitum Sancti Petri, Pij, & aliorum, que

Romani Pontificis auctoritate venduntur, & durat ad vitam eorum, qui emunt, quorum obitu finiuntur, & desinunt. Et aliquando, Pontificis auctoritate, & consensu, emptores officia ad hos transferunt. Ex hæc quidem officia fructuosa sunt, reddunt enim quotannis fructum, alia verò alius sunt fructuosiora.

His positis, primò queritur, Quomodo societates officiorum contrahantur? Noniam ad verbum formulam, seu ut vocant instrumentum societatis officiorum secundum consuetudinem Romanæ Curie: quod instrumentum habet Virginius in *intro sui libelli de Societatibus, quem supra commemorauimus.*

In Nomine Domini, &c. Per præfens publicum instrumentum, & mei, &c. Personaliter confitenti Domini Petrus N. facti Palatii Apostolicæ, causarum Notarius ex una, & Paulus ex altera parte, sponte, &c. inierunt inter se societatem super dicto officio Notariatus, quæ tenere, & durare voluerunt ad sex menses proximè venturos: & deinde ad beneplacitum ambarum partium cum disidia, & intimatione quindecim dierum præcedente, quæ fieri possit domi dimissa copia: in qua societate dictus Paulus posuit sota ducenta in auro, quæ Dominus Petrus ab eodem Domino Paulo præfente, in mea Notarij, &c. præfentia, in prompta, & numerata pecunia recepit, & ad se traxit: de quibus, &c. exceptionis, &c. & illa restituere promisit eidem Paulo præfenti, &c. seu, qui ipse Paulus ceciderit, in simili specie, statim finitæ præfenti societate absque exceptione, & illa durante facere participem dictum Paulum in fructibus ordinariis, & extraordinariis, dicti officij pro rata parte: quam partem, propter itineranditatem fructuum dicti officij, & fastidia computorum, quæ desuper orri, & esse possent, dictus Paulus conduxit ab eodem Petro, ad rationem scutorum duodecim similibus pro quolibet centenatio in anno, quæ solui debeat de semeltri in semelstre, & in principio cuiuslibet semeltris, & sint libera, & exempta ab omni onere ordinario, & extraordinario, decima, subsidio, impensione, quauis auctoritate impolitis, & imponendis in euentum belli, pestis, obitus Pontificis, Concilij, etiam ipso Domino Petro officium amittente, seu dimittente, & in quocumque alio casu, & euentu, qui esse possent: cum pacto, quod dicta sota duodecim similia semper currant, & debeantur ad eandem rationem in omnes dictos euentus, ac post finitam seu didictam societatem, vsque ad integram, & realem dictorum scutorum restitutionem loco damnorum, & interesse, quæ ad tantumdem dicti contrahentes æstimantur, & taxantur. Super morte autem conueniunt, quod moriente Domino Paulo ante Dominum Petrum, durante societate iustitiamodi, morte tamen naturali, non violenta, non vi, ferro, nec veneno, seu aliter: cumque inflata ab homine violento, quod dictus Petrus lucretur dicta ducenta, & teneatur tantum ad solutionem fructuum decursum non solutorum. In omnes autem alios casus, & euentus idem dictus Petrus teneatur ad dictam scutorum ducentorum solutionem, & restitutionem. Et dictus Paulus sponte, &c. confessus fuit habuisse dictam ratam partem conductam, seu fructus primi semeltris ab eodem domino Petro, de quibus, &c. Viterius conueniunt, quod dictus Dominus Paulus possit nominare aliam personam, & in eam periculum mortis, ac dicta sota ducenta cum omni iure, quod habet, virtute præfentis obligationis, & instrumenti, tam coniunctim, quam diuisim: dictaque pecunias in totum, seu in partem arbitrio suo transferre, & se in totum, vel in parte excludere, quæ persona possit, & valeat uti præfenti instrumenti, & contra quoscumque illius virtute agere, & expeti in iudicio, & extra in omnibus, & per omnia pro ut ipse Paulus posset, si illam non numerasset: ad dicto pacto, quod dictus Paulus teneatur eandem nominationem, & translationem intimare, & viuere per decem dies post factam intimationem; quæ etiam valeat, quæ dimissa copia. Et item dictus Petrus promisit dare in fiduciosos huic societati, qui personaliter accedent. D. N. & N. quos licet absentes me Notario, &c. indemnes re-

leuare

leuare promittit; & promittit, quod moriente, seu conditionem deteriorante vno, seu quolibet ipsorum, dabit alium, seu alios aequè idoneos, qui eodem modo accedant. Alias voluerunt dicti contrahentes, quod ipse dictus Petrus teneatur ad restitutionem, & solutionem omnium, ad quam teneatur, si societas esset finita presentibus testibus, &c. Hactenus verba instrumenti.

Secundò quaeritur, Quot, & quas condiciones societas officij requirat? Extat Constitutio Leonis X. *qua incipit: Ad perpetuam rei memoriam.* Alia Pauli IV. *cuius initium est: Ad perpetuam rei memoriam. Inter ceteras curat.* Tertia Pij IV. sic incipiens: *Motu proprio, &c. Cum scilicet accepimus.* Has Constitutiones refert ad verbum Franciscus Caltracianus in *Tract. De societibus officiorum, ad finem.*

Prima conditio, quae ex praefatis Pontificiis Constitutionibus in societate officiorum requiritur, est, vt officium sit, in quo societas consistat. Leo X. & Paulus IV. statuerunt, nè aliqua pacta contra bonos mores apponerentur, & generatim, nè pacta vllam vim haberent, nisi coram Romano Pontifice in signatura proponerentur, vel super eis supplicationes expedire forent: In quibus ipsa pacta exprimerentur: Aliter verò contractae societates, nullius momenti essent. Sed Pius IV. hoc abrogauit, & constituit, vt societates officiorum possent in pactis quidem licitis, & bonis, sed absque eo, quod in signatura proponerentur, vel absque eo, quod super eis supplicationes expedire essent, voluit insuper, vt societates ipsae contractae valerent. Ergo iuxta tres Romanorum Pontificum Constitutiones requiritur, nè vlla pacta contra bonos mores apponantur; & vt reuera sit officium, in quo societas ipsa subsistat.

Tertiò quaeritur circa hanc primam conditionem, an societas legitime contrahatur inter Titium, & Caium, in hunc modum: Titius dat Caio centum, & Caius nullum officium habet, sed rogat Seium, qui habet officium, vt suum ipsi quasi commodet officium, ac ita societas constituitur in officio Seij, sed in gratiam Caij, & in commodum, & bonum eius: & proinde Caius officium reuera non habens, sed quasi commodati Seij officium accipiens, recipit centum à Titio, & ei se obligat, ita vt illi ad semestre soluat sex, & Titius si intra semestre moriatur, amittit centum, quae Caio dedit, & ea sibi Caius ipse lucratur. Soluta verò societate ad sex menses, Caius centum quae accepit, reddere Titio cogitur. Caltracianus tractat. *De societibus officiorum, cap. 5.* primum dubitat, an Titius, & Caius talem societatem legitime coeant: sed tandem eam tanquam usurariam condemnare videtur; quamvis ob consuetudinem Romanae Curiae receperat, eam liberet ab omni usurae labe, eò quod Titius ratione eius quod sua interest, ad semestre recipiat à Caio sex, ac si ipse Caius officium haberet: nam centum quae Caius dedit, parata habebat, vt ea daret in societatem Seio, vel alteri officium habenti. At profectò talis societas nec est usuraria, nec cum Pontificiis Constitutionibus pugnat. Non enim contrahitur sine vilo officio, quoniam ea constituitur in officio Seij. Nec cum ratione pugnat, vt Seius suum officium Caio commodet: possum enim ego, cum pecuniam non habeam, quas tibi mutuas dem, commodare tibi gemmam, vel aliam rem, vt ea pignori data, quaras, & accipias ab alio mutuas pecunias. Seius igitur commodat Caio suum officium, vt in eo, Caius mutam cum Titio societatem constituat. Quid enim impedit, vt Caius officium habeat commodatum à Seio? Falsum igitur est societatem contrahi absque officio. Contrahitur quidem absque officio, quod sit Caio; sed non sine officio, quod Caius commodatum accepit à Seio. Constitutiones verò Pontificiae solum praecipunt, vt in aliquo officio societas contrahatur: sed officium potest quis habere, vel tanquam suum, vel tanquam commodatum. Quid, quod talem societatem Seius in suo officio constituit, sed non gratia sua, sed gratia

Caij; ac ita bonum, & commodum Caij, non suum? Accedit, quod moriente Seio, cuius est officium, statim dissoluitur societas inter Titium, & Caium contracta; nec potest Titius postea ad semestre exigere, vel accipere, & Caius debet centum Titio restituere, à quo accepit.

Ex his perspicitur, huiusmodi societatem non contrahi in fraudem legis, nec usurae speciem habere, si reuera Caius, & Titius coeant absque vlla voluntate fraudulenta, & deprauata; & Titius centum non dat mutua Caio, quoniam si intra sex menses obierit, ea amittit, & sibi Caius acquirit, ergo mutua illa centum non dedit, quia mutuum in omnem euentum repetitur, & soluitur. Praeterea, Caius soluit ad semestre sex, quia non soluit ea ex pecunia mutua accepta, sed soluit, quia accepit in societatem officij sibi à Seio commodati, centum à Titio, quae potest sibi lucrari, & Titius perdere, si ipse Titius intra semestre moriatur. Hinc etiam fit, vt Seius nihil soluere debeat Titio, quoniam contracta est societas, & constituta in officio quidem suo, sed gratia Caij, & proinde Caius, qui sentit lucrum, debet quoque onus sustinere, hoc est, debet Titio soluere sex ad semestre, quae illi non ex mutuo, sed ex societate officij debentur. Ergo qui sentit onus, sentiat, & commodum. Quare consuetudo in Curia Romana vsu recepta non excusetur à crimine quam dixi societatem, si reuera esset usuraria, quoniam consuetudo, quae usuras admittit, est corruptela, vt pote introducta contra ius naturale, & diuinum: vt recte Panormitanus, Antoninus, & ceteri in *cap. ultimo de consuetudine* tradiderunt. Nec talis societas excusatur ratione lucri cessantis: quia quamuis usurae compensatrices lucri permittantur, vt postea dicam, lucrum tamen quod cessat, debet esse probabile, non simulatum, & fictum. Rursum lucrum cessans compensari debet, sed deducto omni periculo: ac proinde tanto minus lucrum compensandum est, quanto minus fuerit periculum. Ergo Titius non potest sex exigere ratione lucri cessantis, sed tanto minus, quanto plus periculi erit, si pecuniam suam in negotiationem, vel in societatem daret ad sex menses.

Quartò quaeritur, Quid sit dicendum, quando Titius dedit Caio, qui nullum officium commodatum, vel proprium habet, centum ad sex menses ea conditione, vt si ipse Titius intra sex illos menses moriatur, Caius ea centum sibi acquirat, & nihil restituere cogatur; quod, si Titius vixerit toto semestri, soluat tanquam lucrum, & fructum, sex, & reddat principalem sortem, centum scilicet? Respondeo, huiusmodi contractum non esse societatem officij, quoniam Caius nullum officium habet, nec ipse, & Titius societatem in alicuius alterius officio constituit, quare vt societatis Caius nullum lucrum, aut fructum Titio debet. An verò vt pacti, & contractus innominati Do, vt des, & ratione periculi, cui Titius suam pecuniam exponit, & subiicit tuta conscientia, secluso omni iure scripto, quod saepe multa prohibet, eò quod in fraudem legis fiat, Caius lucrum ultra sortem principalem soluere debeat, praesentis instituti non est. De hac enim quaestione alio in loco diximus. Augelus *usurae* 1. num. 42. & 43. Rosella eod. verbo num. 40. Siluester eodem 1. quaest. 37. Armilla eodem numero 36. & 37. ex Sancto Bernardino sentiunt, usurarium esse contractum, quia Titius pecuniam mutuum dat Caio, & praeter sortem lucrum accipit. Sed Ricardus in 4. *distinctione* 25. *quaest.* 3. *vers.* 4. *accipiens aliquid*, Socus lib. 6. *de iustitia*. *quaest.* 6. *articu.* 2. *ad finem*, quem sequitur Virgilius *de Societate*. officio. num. 196. & citat Baldinum *consil.* 210. lib. 7. *Oletradium consil.* 207. *Tabientis usura* 15. g. 10. *Nauertus consil.* 25. *de usura*. num. 2. & 3. videntur docere, fas esse Titio lucrum percipere, quia suam pecuniam periculo obicit, videlicet, si intra sex menses obierit, vt eam tanquam suam Caius retineat. Deinde, quia non est mutuum, nam mutuum in omnem euentum repetitur, & redditur: at Titius si intra sex menses deceaserit, suam pecuniam amittit, ita vt Caius haec redibus eius nihil restituere debeat. Ergo centum non

fung Caius data mutua, sed contractus est initus innominatus inter Titium, & Caium, videlicet, Do, vt des. Ceterum quidquid sit ex natura rei, talis contractus merito damnatur, tamquam in fraudem legis factus, & tamquam vsurae speciem, & figuram habens, nec videtur vlla ratione permittendus: & in iudicio Titius lucrum in sortem computare cogetur.

De secunda conditione societatis officij.

CAPVT IX.

IN societate officij secundo loco requiritur, nē is, qui habet officium, & pecunias accipit in societatem, plures socios adseat, aut plus pecuniarum accipiat, quam officij aestimatio postulet. Exempli gratia: Officium Caij valet quingentos aureos, nequit in societatem accipere sexcentos. Paulus Tertius *Constitutione sua* prohibuit, nē vltra dimidiam officij aestimationem societates contraherentur. Sed Pius Quartus hoc abrogauit, concessitque, vt tot societates coiri possent, quorū officium valeret: vetuit tamen, nē vltra officij aestimationem, & pretium aliquis societatem iniret. Praecipit etiam, vt is qui habet officium, debeat rogatus ab eo, qui cum ipso societatem contrahit, specialiter exprimere, si quas alias societates iniret: quod si eas falsò negauerit, aut in totum, vel ex parte celauerit, eo ipso sit priuatus officio, cum quo est societas constituta, sine vilo tamen detrimento creditorum, quibus ipse, & fideiussores cogantur omnino satisfacere.

Hae conditio est aequissima, eamque natura, & substantia societatis officij postulat, & requirit. Nam quemadmodum societas officij non subsistit, si nullum officium sit, ita nulla est societas officij ex ea parte, qua contrahitur, vltra id, quod valet officium: nam eatenus nullum officium est. Item socius, qui dat pecunias, eas dat, quia alter pecuniam non habet, qua totum officium emat, ac proinde supplet, quod alteri deest; vel saltem emit partem lucri, & fructus, quem reddit quotannis officium: at fructus non facit officium vltra id, quod valet. Sit exemplum: Officium Caij aestimatur quingentis aureis, reddit quotannis quinquaginta, vel sexaginta: Ergo si Caius in societatem accipiat sexcentos aureos, inique facit, cum eius officium non reddat quotannis nisi quinquaginta aureos: nec valet officium nisi quingentos aureos.

Hoc posito, primò quaeritur, an Caius, qui officium habet valens quingentos aureos, possit in societatem accipere ab aliis sexcentos aureos, non quidem in societatis (hoc enim cum Pontificis Constitutionibus pugnat) sed in pacto, quo Titius ei dat sexcentos aureos, ita vt si ipse Titius intra sex menses decedat, eos amittat, & vt suos sibi retineat Caius? *Castracianus in tract. De societatis officiorum. cap. 6. num. 7. & seqq.* Et Virginius in *libello de societatis officiorum. num. 102. & 126.* insinuant id fieri non posse, quia contractus tunc transit in mutuum, ac proinde Titium restituere debere, hoc est, in sortem computare lucrum, & fructum, quem percipit praeter pecuniam principalem, quia est lucrum ex mutuo, non ex societate computatum.

Cum verò illis obicitur consuetudo Romanae Curiae, vbi qui dant tali pacto pecunias, fructum solum accipiunt praeter sortem principalem: Respondent, tunc fructum accipi ratione lucri cessantis, quia socii pecunias suas erant alteri in societatem daturi, vnde ad semestre lucriferent sex. Profecto Romanae quotidie viros doctos laici consulunt, id licitum sibi nec ne sit, cum videant alios id probare, alios verò minime. Extat Decisio in *Rota Romana anno 1597.* huiusmodi societates nullius esse momenti, & lucrum acceptum, in sortem computari debere; nec excusari ratione periculi, aut ratione lucri ces-

santis, eò quòd has societates prohibeat Pij Quarti Constitutio.

Certi iuris est, id lucri percipi non posse vi societatis officij, vt dixi: Sed tota quaestio in eo versatur, an id lucri ratione pacti adiecti accipi queat? Quod est quaerere, an tale pactum sit praeter, an contra naturam, & substantiam societatis: quod si solum est praeter naturam, non est cur improbetur: nam etiam in aliis contractibus sunt saepe pacta licita, quamuis praeter naturam ipsorum contractuum apposita, si loquantur tantum secundum conscientiam ex iure naturali, non hum. no. & scripto. Rursum etiam huiusmodi pactum esset contra naturam societatis officij: videndum tamen est, an mutet, & transferat societatem in alium contractum iustum, & licitum. Sotus *libr. 6. de iustitia, qua. 6. art. 2. ad finem, & Nauarrus consil. 25. De vsur. num. 2. & 3.* videntur hoc pactum, vt iustum approbare, quia Titius dat Caius centum ea conditione, vt si intra sex menses obierit, ea vt sua Caius sibi retineat: ac proinde periculo suam pecuniam subicit, & ratione periculi potest lucrum exigere. Deinde perinde est ac si Titius ludo suam pecuniam exponeret, in quo posset eam perdere, & possit item ex ea tantumdem lucrari. In Germania quoque, Anglia, & aliis prouinciis consuetudo est, quae vnus, V. g. Titius, Caius dat centum ea conditione, vt si Titius intra duos annos Romam venerit, & saluus in patriam redierit, Caius reddat Titio centum, & viginti quatuor; sin minus, centum sibi Caius acquirat: quam consuetudinem Nauarrus *loco citato*, dicit esse licitam ab omni vsura, Titius dat Caius centum, non vt in omnem euentum totidem, & cum lucro restituat, sed periculo subicit: nam si Romam venerit, vel in patriam saluus, & incolumis non fuerit reuersus, Caius ea sibi lucratur: & quia Caius potest centum lucrari, obligat ad soluendum quatuor, & viginti vltra sortem principalem. Item vsu est receptum in Anglia, vt pater duos, vt tres filios impuberes praeter primogenitum habens, communitati, siue ciuitati det ducentos, vel trecentos aureos ea conditione, vt si illi filij vltra septennium vixerint, communitas, siue ciuitas in singulos annos debeat reddere centum, & duodecim, quod si filij intra septennium obierint, communitas, seu ciuitas sibi acquirat ducentos, siue trecentos aureos. Praeterea, communis est Doctorum sententia in *cap. Nanigan. de vsur.* approbati eam consuetudinem, quae quis Monasterio Religiosorum, vel Collegio Clericorum dat mille aureos, vel res totidem aureis estimatas, ea lege, vt dum vixerit, debeat Monasterium, vel Collegium certam pecuniam quantitatem ipsi quotannis soluere, & post eius obitum, omnia sibi habeat. Qui quidem contractus iustus, & licitus est ob incertum euentum, & tam diu potest viuere is, qui pecunias, vel bona sua dat, vt non solum accipiat totidem quot dedit aureos, sed & multo plures: Ergo etià propter dubium euentum, potest Titius fructum percipere ex centum, quae dat Caius, eo pacto, vt si intra Semestre moriatur, Caius ea vt sua habeat: tunc enim Titius non dat mutuo centum, quia mutuum in omnem euentum reperitur, & redditur: At Titius dat suo periculo centum, quae amittit, si inoritur.

Ego sanè numquam consilium darem, vt societates apposto tali pacto contrahantur: Si tamen contractae sint, haud facile secundum conscientiam condemnauerim, nec Caium, qui habet officium, si lucratus est sortem principalem ob mortem Titij, qui pecunias dedit, cogentem ad restituendum: nec Titium qui ad sex menses lucrum accepit, ad reddendum illud, siue ad computandum in sortem: quia probabiles sunt Doctorum opiniones in hac parte. At cum in iudicio res agitur, societates adiecto tali pacto contractae condemnantur, & merito, tum quia vsurae speciem habent; tum quia in fraudem legis, & Constitutionis Pontificiae videntur factae, quae eas manifestè prohibet.

Secundò quaeritur, An officium tantum valere iudicandum sit, quanti est emptum; an verò tantum, quanti vendi nunc potest, cum societas contrahitur? Respondeo, tantum

vale-

valere, quanti nunc vendi potest: nam pretia rerum variantur, & tanti æstimantur res, siue merces, quæ vendi queunt, non quanti emptæ sunt. *l. Præstaverim. ff. Ad legem Falcidiam.*

De tertia conditione, qua in societate officiorum requiritur.

CAPVT X.

TERTIA conditio est, vt socius, quem sibi adsciscit is qui habet officium, pecuniam numeratam coram notario, & restibus soluat.

Primo queritur, Quid sit dicendum in hoc casu: Caius, qui habet officium, emit à Titio merces centum aureis, quos non soluit, sed debet, nunc vero Titius cum ipso Caio societatem officij contrahit: & quia daturus erat centum aureos Caio in societatem, Caius totidem, quos ex emptione debebat, habet vt sibi solutos, an valeat huiusmodi societas, in qua Titius non numerat, & dat nunc centum aureos Caio, sed tantum, quos ipsi Caius debebat, vult, vt Caius habeat tamquam sibi in societatem datos? Quidam opinantur talem societatem nullius momenti esse, quia Titius nunc pecuniam numeratam non dat. Alij vero hanc approbant societatem, quia Titius anticipato dedit pecuniam, siquidem Caius, ex emptione sibi centum debebat, ergo petende est, ac si Titius nunc centum Caio numerasset.

Arbitror in primis eiusmodi societatem legitimè coiri & valere non posse, quamuis Titius numeret centum aureos, & det Caio ea conditione, vt statim ipsi restituat, & nihilominus sit contracta societas ad sex menses, perinde ac si nunc centum Caio dedisset, quoniam sit in fraudem legis, & Titius simulat, & sic centum aureos numerat, licet eos numeratos det Caio in societatem, & Caius eos statim restituit, vt soluat centum, quos antea debebat: etiam si Caius soluat, & extinguat debitum, quod reuera ante contraxerat: quia nihilominus Caius debitor est, nõ mercurium, quas emerat à Titio, sed pecuniam in societatem acceptam, & illico restituta.

Quæres, An valeat societas, quam Titius, & Caius coeunt ea conditione, vt centum aurei, quos Caius Titio debebat, ipse Caius habebat, vt sibi datos in societatem, etiam si Titius nunc centum aureos Caio non det? *Virginius de Societ. offic. num. 64. & seqq.* negat valere inter eos huiusmodi societatem, quia Titius non numerat pecuniam. Alij tamen affirmant legitimam esse societatem in foro conscientiarum, quamuis in iudicio vim non habeat, cum numerata pecunia non sit. *Bart. in l. Si ex pretio. C. Si cert. per. & Dec. in l. certi conditio. §. ult. num. 2. ff. eod. tit.* docent, debitum ex vna causa in aliam posse conuerti, & tunc nihil esse simulatum, & fictum, quia id locum habeat ex vera causa prior, sed tutius est affirmare hoc neque in foro fori, neque poli valere, quia contractus est fictus, & simulatus, dum pecunia statim restituitur. *arg. l. Si quis ibi soluit. ff. de solut. & fit in fraudem Bullæ Sixti V. de Societ. edita 1586. ac Pij V. de censibus.*

Secundo queritur, An societas officij coiri possit, ita vt valeat, si non pecunia, sed res alia loco pecuniæ, aut pecunia æstimata in societatem detur? *Gabr. consil. 80.* respondet, societatem valere, quando res aliqua loco pecuniæ detur, præsertim si æstimata traditur, quod probat, quia omnia sunt licita, quæ non legimus specialiter constitutionibus esse prohibita. *l. Necnon. §. Quod eius. ff. Ex quibus causis maiores. & l. Ab ea parte. ff. de Probat. Castracian. de Societ. offic. cap. 7. num. 8.* negat dictam societatem valere, quia societates officiorum instituta sunt, vt is, qui officium emendum curat, satis pecuniæ habeat ad pretium integrum persoluum. Verum quicquid sit de foro iudiciali, videtur in foro conscientiarum prædicta societas valere: tum quia societas solo consensu contrahitur, *Instit. de obligat. ex con-*

sensu, in principio, & l. 2. de Actionibus, & obligati omnibus. in iuris: tum etiam, quia ex l. Si ex pretio. C. Si cert. per. & l. Singularia. ff. eod. tit. debitum in mutuum conuerti potest.

De quarta conditione, quam societas officij postulat.

CAPVT XI.

TITIVS dat centum in societatem Caio officium habenti, ea conditione, vt si intra sex menses Titius decesserit, Caius sibi ea centum lucretur, ita vt nihil restituere cogatur: & liberum est Titio intra quindecim, vel viginti dies alium, quem voluerit, nominare, cuius vitæ periculo apud Caium sint centum, quæ dedit, nimirum vt Caius ea tanquam sua retineat, si is, quem Titius nominauit, intra semestre moriatur.

Hæc conditio iusta est: nam ob periculum vitæ, cui Titius suas pecunias exponit, iure luctari potest sex intra semestre, vt lucrum ex centum, quæ conditio propria est huius societatis; nec enim in alijs societatibus tale pactum apponitur.

Primo queritur, Quid dicendum, quando Titius, antequam alium nominet, è vitis excedit, Caiusne tunc centum, quæ Titius dedit lucrabitur? *Castracianus de Societatibus, cap. 8. num. 11.* sentit, iure communi Caium ea centum non sibi lucrifacere, sed vi pacti specialis, quia Titius, & Caius coeunt societatem ea conditione, vt possit Titius nominare, quæ voluerit intra certos dies, cuius vitæ periculo pecunia sit: dum autem nõ nominat, pecunia sit eius vitæ periculo: sic enim in curia Romana passim societates officiorum contrahi consueverunt. Certè iure communi id quod *Castracianus* dicit, verum est: nam etsi res, quam emittit nomine alterius, nisi ille ratum habeat, tibi acquiratur in societate tamen, quæ contrahitur prædicto pacto, non lucratur, qui officium habet, pecunias, si is, qui dedit, antequam alium nominet, moriatur. Cæterum, quia passim pactum adijcitur, vt si obierit ante nominationem alterius, sibi pecunias acquirat is, qui habet officium: fit inde, vt eas lucretur: quod etiam locum habet, tamen si notarij culpa tale pactum fuerit prætermisum, quoniam socij contrahere societatem officij videntur, prout moris est: quæ moris autem, & consuetudinis sunt, intelligenda veniunt in contractibus, ea licet minimè exprimitur. Item id actum inter eos, qui contrahunt, esse dicitur, quod est solitum fieri. *l. Quod si nolit. §. Quia assistit. ff. de Edictio edict. & l. Si prius. §. Recte placuit. ff. de Aqua pluvia arcenda.*

Secundo queritur, An si notarius prædictum pactum omiserit, illud postea ex temporis intervallo possit adijcere? Hanc quæstionem tractat *Castracianus de Societatibus offic. eodem cap. 8. num. 14.* multa dicit, sed breuiter dicendum existimo: siue addat, siue non addat pactum, huiusmodi societas constata censetur, prout passim ceteri contrahere societatem officij consueverunt.

De quinta conditione ad societatem officij requisita.

CAPVT XII.

QUINTA conditio est, vt is qui habet officium, & pecunias in societatem accipit, eas restituere debeat in omnem euentum, si is, qui dedit, vixerit ad sex menses. Item debeat quoque soluere certam lucti partem, videlicet ad semestre.

Queritur iam, An hæc conditio cum æquitate, & iustitia sit coniuncta? Ratio dubitandi est, quia cum natura, & substantia societatis pugnat, vt is, qui pecunias accipit, eorum periculum subeat. Deinde contra societatem est, vt certam lucti partem soluere cogatur, cum lucrum societatis sit incertum, & dubium; potest enim plus, minusve

lucris, aut etiam nihil euenire. Profecto hæc duo, quæ propo-
sita conditio deposcit, propria, & particularia sunt huius
societatis: hæc enim præter ius commune multa continet.
Sed quia pactum est, ut qui pecunias dat, si intra sex men-
ses obierit, eas amittat; ita ut is, qui habet officium, & eas
recipit, sibi penitus acquirat: ideo pactum etiam est licitum,
& iustum, ut is, qui recipit pecunias, eas in omnem
euentum restituere debeat, & soluere certam lucris partem.
Ac quemadmodum primum pactum præter, non contra
societatem est; sic etiam secundum pactum non est socie-
tati contrarium, sed extrinsecum, quod societatem non
tollit. Quare, qui accipit pecunias, quamuis vi ipsius so-
cietatis, suo periculo non suscipiat, ex pacto tamen susci-
pit. Et contractus ex conventionem partium legem acci-
piunt. *l. r. §. Si conuenit. ff. Deposti. Et l. Contractus qui-
dam. ff. de Regulis iuris. Et l. In emptioibus. ff. de Pactis.*
Nec impedit, si totus hic contractus passim vocetur socie-
tatis: nam ratio est habenda pacti, quod adiecitur, ratione
cuius, vel societas non est, sed contractus innominatus, vi-
delicet, Do ut des, vel si societas est, habet peculiare pactum
præter commune ius. In *l. Si insulam. ff. de Prescript. verbis*
habetur: [Si insulam tibi vendidi, ut aliam insulam refice-
res, quamuis usus sim verbo vendendi, venditio non est,
sed contractus, do, ut facias.]

Ex his colligitur, cum, qui pecunias accipit, debere in-
tegras restituere, & lucrum soluere, etiam si intra semestre
officium amiserit, vel deposuerit, vel quolibet alio euentu,
nullos ex officio fructus percepit, quia ad id sese obli-
gavit, immo cogitur hæc soluere libera, & empta ab omni
onere, quia sic etiam inter ipsos conuenit, & sic est usu re-
ceptum.

De sexta conditione, quam requirit so- cietas officij.

CAPVT XIII.

SEXTA conditio est, ut qui habet officium, & centum
accipit ad sex menses, soluat sex tamquam lucrum, &
fructum ex centum.

De hac conditione dubitare quis possit, sine æquitati
consentanea? non enim quodlibet officium in curia Ro-
mana quotannis reddit duodecim ex centum: officia enim
alia plus, alia minus reddunt in singulos annos: deinde
aliquando plus lucris, aliquando minus pariunt. Sed dicen-
dum videtur hanc conditionem iustam esse, quia verisimi-
liter officia tot fructus pariunt quotannis, & fructus du-
bius, & incertus, potest certo pretio vendi, & emi. Tum
etiam, quia is qui habet officium, potest centum, quæ acci-
pit lucrari, si intra sex menses is, qui dedit, decesserit. Ideo
iure optimo soluit sex, & lucrum ex centum, & is qui de-
dit licite exigit, & accipit tantum lucrum; quia onus, &
periculum sustinet, cum possit centum amittere, si eius obi-
tus intra sex menses acciderit.

De septima conditione in societate officij requisita.

CAPVT XIV.

IN more positum est, ut qui habet officium, & pecunias
accipit in societatem, lucrum soluat anticipato, videlicet
in principio semestris.

De hac etiam conditione quisque sane, illane æquitati
congruat, merito dubitauerit: quoniam lucrum ex socie-
tate, non debetur nisi societate finita: lucra enim inter so-
cios sic diuiduntur. Item Titius, qui dat centum Caio, si
anticipato tempore lucrum accipiat, videlicet sex, perinde
est, ac si tantum socio dedisset nonagintaquatuor; quomo-
do igitur ex nonagintaquatuor exigit lucrum, ac si centum
dedisset? Sanè hoc etiam in ipsa societate est speciale: nam

in cæteris societatibus lucra non nisi post finem negotia-
tionis socij partiuntur: At vero in societatibus officiorum
ideo anticipato lucrum soluitur, quia potius contractus
innominati, videlicet, do, ut des, quam societatis rationem
habet: is enim, qui pecunias dat, eas amittit, si intra sex
menses obierit.

De ultima conditione, quam societas offi- cij exigit.

CAPVT XV.

EST etiam consuetudine receptum, ut is qui habet of-
ficium, & v. g. centum recepit in societatem, soluere
debeat sex ad semestre, tamquam lucrum ex centum
in omnem euentum, etiam si amittat, vel dimittat officium:
immò post finitam quoque, aut solutam societatem, donec
quæ accepit centum reipsa restituit.

De hac conditione magna semper fuit controuersia, an
contra bonos mores sit & usuraria, eo quod talis esse vi-
deatur. Nam finita societate, centum, quæ Titius dedit
Caio officium habenti, amplius nihil periculi habent, quo-
niam quamuis Titius moriatur, ei debentur, & proinde
eius hæredibus restituenda sunt, nec potest Caius sibi lucra-
ri, si Titius, durante societate, ad semestre vixerit. Sunt, qui
asserant pactum huiusmodi licitum esse, quia finita, vel so-
luta societate, Caius, qui habebat officium, quamdiu non
restituere centum accepta, morosus est debitor, & ob mor-
tam, id est culpam, lucrum soluere iure compellitur.

Sed dicendum existimo in primis, quando soluitur so-
cietas id volente, vel sciente Caio, qui habet officium, iu-
re compelli potest ad soluendum lucrum iustum, & debitum,
ob moram restituendi principalem sortem: non autem est
cogendus tantum lucrum soluere, quantum, stante socie-
tate, soluebat: eo quod lucrum intelligitur, deducto omni
damno, & periculo. *l. Mutius. ff. Pro socio.* At Titius cen-
tum suo periculo apud Caium habebat, antequam socie-
tas solueretur. Finita vero, vel soluta societate, ea centum
habet apud Caium absque vilo periculo, ergo nequit tan-
tum lucrum percipere, quantum antea. Unde merito in
curia Romana, sententia iudicis condemnatur is, qui habet
officium, quando capitalem sortem scienter non resti-
tuit, ad soluendum quatuor, vel quinque, vel sex, tan-
quam lucrum, quod passim Romæ provenire solet ex
centum.

Si roget quis, An necesse sit in scriptum redigatur socie-
tatis officij, quando contrahitur, ut vim habeat? Respondeo,
minimè, *ut est in l. Pactum. C. de Pactis.* contractus enim
societatis solo consensu, verbis, vel nutibus expressis, perficitur.
Instit. de Actio. Et oblig. in princ. Instrumentum vero
à notario conficitur, ut societas probari possit in iudicio,
in quo aliter locum non habet.

Quæres itidem, An quilibet possit suas pecunias in so-
cietatem officij dare? Respondeo, posse, dummodo rationis
sit compos, & suorum bonorum administrationem habeat.
Quare etiam femine possunt societatem inire, dando pec-
cunias ijs, qui habent officium.

Quot modis officij societas dirimatur.

CAPVT XVI.

OFFICIORVM societates multis modis soluan-
tur. Primo quidem obitu eius, cuius est officium,
quia in officio est societas constituta: ergo officio
non extante, non manet societas, & tunc officium posses-
sore vacat, & redit ad Principem, cuius est officia ven-
dere, transferre, & dare cui voluerit. Redire autem ad Prin-
cipem liberum ad omni onere: hac enim conditione illud
vendit. Tunc autem hæredes eius, qui habebat officium

vel

vel fideiussores quos dedit cum pecuniis in societatem accepit, coguntur principalem pecuniam restituere ei, qui dederat in societatem.

Secundo modo soluitur etiam societas, cum is qui habet officium, illud vendit, vel ad alterum transfert, accedente auctoritate, & consensu Principis, quoniam amplius officium non habet, nec emptor, nec is ad quem est translatum officium, aliquid debet ei, qui pecunias dedit in societatem, quoniam nulla est cum eo contracta societas, & officium liberum accipit auctoritate, & consensu Principis: in hæredes tamen eius, qui vendidit, aut transiit officium, & in fideiussores habet ius, & actionem is, qui pecunias in societatem tradidit, & ab eis illas iure suo recipit.

Dubia questionis est, An mortuo eo, qui habebat officium, hæredes eius, & fideiussores, debeant debitum fructum, & lucrum, quod erat ad semestre reddendum, solvere ei, qui pecunias dedit? Respondeo, huic questioni locum non esse, quia, ut dixi, vñ est receptum, ut qui pecunias accipit in societatem anticipato, hoc est inuente semestri, totum lucrum soluat, quod alioqui ad finem semestris deberet: sed locum habet altera questio, An moriente post vnum mensum, eos qui habebat officium, is, qui pecunias dedit, & lucrum recepit, restituere debeat hæredibus eius, lucrum partem, quam anticipato tempore recepit. Vt exemplum ponamus, Meuius, cuius erat officium, decessit elapso vno mense à societate cum Titio contracta, & principio illius mensis soluerat Titio sex tanquam lucrum, quod erat Titius percipiturus ad semestre ex centum, quæ Mæuius dederat. Meo iudicio, Titius restituere debet, quia finita, vel dissoluta societate, Titius suas pecunias amplius non habet periculo expositas: ergo si Mæuius intra vnum mensum decessit, nequit Titius lucrum reliquorum quinque mensium retinere, quia toto eo tempore eius pecunias apud Mæuij hæredes nõ fuerunt in societatis, ac proinde fuerunt absque villo periculo.

Tertio modo societas dissoluitur morte etiam ciuili eius, qui habet officium; videlicet, si bona eius ob delictum publicentur, & sisco addicantur. *l. Actio. §. Publicatione. ff. Pro socio. & Inst. de societate. §. Publicatione.*

Quæres, An Principis siscus reddere cogatur pecunias, quas dederat socius ei, qui habebat officium? Ratio dubitandi est, qui siscus videtur bona capere iure successione, ergo sicut hæredes deberent eas pecunias restituere, sic etiam siscus. Deinde siscus creditoribus satisfacere cogitur, ergo etiam eas pecunias restituere. Dicendum videtur, hoc onus ad siscum non transire, eo quod hæredes, aut fideiussores vi societatis contractæ, coguntur reddere pecunias datas in societatem, ad hoc quippe illi sese obligant.

Quarto, officij societas dirimitur morte naturali eius, qui pecunias dedit: & tunc is, qui habet officium, & cui datae pecuniae sunt in societatem, sibi eas lucratur. In hac vero conditione apponitur illud: Si decedat morte naturali, non ferro, non veneno, aqua, telo, vel alias quomodolibet ab homine inflicta, & ve excipitur etiam mors alijs similibus casibus eueniens, ut si quis intereat fuste percussus, aut verberatus, aut iactu lapidis, aut suffocatus, aut in flumen proiectus, aut ab hostibus occisus, aut tactus fulmine, aut incendio absumptus, aut naufragium passus. Immo excipitur etiam solet, si foemina moriatur ex partu, vel abortu, vel ex causa partus, vel abortus.

Sed quid sit, qui dat pecunias seipsum interimat? ead. ne tunc sibi acquirat, qui habet officium? *Virginius de societ. offic. num. 122. & Caltraean. tract. de societ. cap. 22. num. 2.* censent eum pecunias lucrari; quod probant auctoritate Bartoli, Baldi, & Gulielmi dicentium huiusmodi mortem violentam non esse, nec inflictam ab homine, videlicet ab alio homine, & quia *cap. Placuit, 23. quæst. 5.* qui sibi mortem inferunt, dicuntur se ipsos voluntarie perimere, ergo nõ volenter. Ego tamen verius puto, eum pecunias sibi non acquirere, quia perit is, qui dedit pecunias, morte violenta

ab homine inflicta, utpote, quam sibi ipse conseruit, quamuis voluntarie seipsum occiderit, qui voluntarias manus intulit.

Si quæras, an si bello fuerit occisus, sibi lucrificatur pecunias is, qui habet officium? *Virginius num. 121. & Caltraean. cap. 23. num. 1.* sentiunt eum lucrificari, quia talis mors violenta non est: ego contrarium censo, quoniam nõ est mors naturalis.

Quinto, definit societas obitu eius, quem nominauit is, qui dedit pecuniam, ut vitæ eius periculo esset exposita. Quo etiam in euentu is, qui habet officium, lucrificatur pecunias.

Quid si is qui dedit pecunias, decesserit ante eum, quem nominauit? tunc ne is qui habet officium lucrabitur eas? Respondeo, minimè quia post nominationem factam, pecuniae in societatem datae, amplius non sunt expositae periculo eius, qui dedit, sed eius, quem ille nominauit. Quare finitur quidem societas obitu eius, qui pecunias dedit, sed viuente adhuc eo, quem ille nominauerat, pecunias sibi non acquirat, qui habet officium, quoniam vñdum decessit is, qui fuerat nominatus: vnde eas restituere secundum conscientiam cogitur hæredibus eius, qui dederat.

Dubia questionis est, An decedente eo, quem nominauerat, qui pecunias dedit, restituere debeat lucrum anticipato sibi solutum, si mors intra primum mensum accidat? & An qui habet officium, recipere possit lucrum partem solutam? Exempli gratia, Titius in societatem dedit Meuij officium habenti centum, & Seium nominauit, cuius vitæ periculo sua centum exposuit, & à Meuij, tanquam lucrum, accepit sex, quia est inita societas ad sex menses. Seius obiit statim post vnum mensum elapsum, & ob id Meuius centum sibi lucratus est. Quæritur, An Titius debeat Meuij restituere quinque, siquidem anticipato sex acceperat, & vno tantum mense Seius vixit. Respondeo cum *Virgino tract. de societ. offic. num. 138.* consuetudinem esse curiæ Romanæ, ne in eo casu Titius aliquid Meuij restituat. Et certè consuetudo hæc nihil cum iure naturali, vel diuino pugnat, quoniam satis est, si Meuius, qui dat officium, totam pecuniam quantitatem acceptam à Titio sibi lucratur, quia ut sæpe dixi, hæc societas officiorum, potius contractus innominati, do, ve des, quam societatis rationem habet. Meuius igitur, inuente semestri totum lucrum soluit, quia potest tota sortem principalem sibi statim acquirere, & satis damni patitur is, qui pecunias dedit, cum eas penitus amittat decellu eius, quem nominauit. Secus vero est, si moriatur elapso mense is, qui habet officium: tunc enim, ut dixi, qui pecunias dedit, si anticipato lucrum sex mensum accepit, debet lucrum partem restituere, quia suam principalem sortem saluam, & integram recipit post vnum mensum. Nec obstat si tota pecunia manserit, ut hæredibus debita, quia non amplius est periculo exposita, nec est in societatem data, sed potius in mutuum translata.

Quæres, Quid sit dicendum in casu sequenti: Mæuius habens officium, & Titius dans pecuniam, societatem coeunt, postea vero Titius totum fructum, & commodum societatis transfuit ad Seium, Quæritur, An sit cum Seio societas contracta? Respondeo, minimè, non enim Seius, sed Titius socius factus est Mæuij, *l. Qui admittitur. ff. Pro socio.* vbi dicitur: Qui admittitur à socio meo, meus socius non est, quoniam societas contrahitur consensu: & hinc est, ut obitu Titij, non Seij societas finiatur: Quare si Mæuius soluit fructus Seio, quia nesciuit obitum Titij, repetere eos iure potest, quia mortem Titij ignorauit, quia societas est finita, & propterea totam principalem pecuniam lucratur obitu Titij.

Rogabis itidem, Quid si Mæuius in duobus officijs, quæ habet, societatem constituit? v. g. Titius dedit Mæuij mille, & constituta societas est in duobus officijs Mæuij; deinde vero Mæuius vnum ex illis vendidit, & transfuit ad alium? Quæritur, An societas soluta sit, an vero maneat in altero officio, quod sibi Mæuius retinuit? Respondeo, manere, præsertim si officium valeat mille. Nam in *l. Si id quod. ff.*

Pro socio, habetur sic: [cū tu tres equos haberes, & ego vnum, societatem coiimus, si accepto equo meo, quadrigam venderes, & ex precio quartam mihi redderes. Si igitur ante venditionem equus meus mortuus sit, non putare se Celsus ait, societatem valere, nec ex precio equorum tuorum partem deberi: nec enim habenda quadriga, sed vendenda coiata esse societatem. Ceterum si id actum dicatur, vt quadriga fieret, eaque communicaretur, tuque in ea tres partes haberes, ego quartam, non dubie adhuc socij lunus.] Hæc in ea lege.

De societate omnium bonorum.

CAPVT XVII.

DE hac societate Angelus in verbo *Peculium 2. num. 27. & seqq.* Siluester eodem verbo, lris civilis interpretes in l. 2. ff. *Pro socio*.

Primo quaeritur, Quidnam in hac societate communicetur? Respondeo, communicari quæcumque ex qualibet causa acquiruntur, videlicet ex labore, opera, industria, negotiatione, donatione, legato, hereditate. *l. Ea vero ff. Pro socio.* Item stipendia data militibus. *l. Qui stipendia. C. de Procur.* & quæcumque obveniunt ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus. *l. Si fratres. §. Idem Patimianus. ff. Pro socio.* Communicatur etiam quidquid acquiritur ob iniuriam, vel ex l. Aquilia, ob damnum, nobis, vel nostris suis illatum. *l. Si fratres. §. Socium. ff. Pro socio.* & generatim quidquid licite comparatur ex quolibet iure, titulo, vel causa. *Eadem l. Si fratres.* At non communicatur, si fuerit aliquid quæstum ex causis, iure, vel lege prohibitis, nimirum ex furto, homicidio, adulterio, perurio. *Eadem l. Si fratres. §. l. Quod autem. ff. Pro socio.* Insuper communicantur omnia debita contracta, lucra, damna, & impense, etiam si fuerint ex condemnatione per iniuriam iudicis facta. Secus vero est, si fuerint ex iusta iudicis sententia ob nostrum delictum. *l. Si fratres. §. Socium. ff. Pro socio.*

Secundo quaeritur, Quid sit dicendum, quando bona vnus sunt multo plura alterius bonis? Respondeo, omnia bona communicari, quia hoc est proprium, & peculiare huius societatis, sed omnium bonorum non intelligitur contracta societas, nisi specialiter inter ipsos conuenit, vt sit omnium bonorum societas. *l. Ea vero. ff. Pro socio.*

Tertio quaeritur, An in hac societate omnia sociorum bona statim communicentur, ita vt dominum, & possessionem communem socij habeant? Respondeo, statim communicari. *l. 1. ff. Pro socio.* Et adeo hoc verum est, vt confessum absque vlla traditione dominium, & possessio eorum omnium, quæ ipsius contractus tempore socij habent, communicentur. *l. Societas. §. l. Quia licet. ff. Pro socio. & Gloss. ibidem.* Cuius rei hanc rationem omnes communiter afferunt; quia eo ipso tacite, & implicite traditio interuenire videtur. *l. Quia licet, nuper allata.* quod est peculiare in hac societate, cum tamen iure communi dominium, siue possessio rei absque traditione non fiat. *l. Traditionibus. C. de Pactis.*

Quarto quaeritur, Quid sit iudicandum, quando Titius, & Meuius omnium bonorum societatem inuerunt, & Titius Seium in socium admisit, inscio, vel recusante Meio? Respondeo, Seium Titij tantummodo socium esse, non Meuij. *l. Qui admittitur, §. l. Nam socij. ff. Pro socio.* & ideo quidquid fuerit Seius consecutus, communicabit cum Titio, quia adieuit illum. At quidquid acquiserit Titius, illud faciet commune & cum Seio, quem assumpsit, & cum Meio, quo cum societatem cōtraxit. Sed Meius id, quod comparauerit, solum cum Titio communicabit, non cum Seio, vt constat ex l. quidquid. ff. *Pro socio.*

Quinto quaeritur, An societas sit omnium bonorum ea, quæ vocatur societas simpliciter? Respondeo, in l. coi-

re. ff. *Pro socio.* vocari societatem simpliciter eam, quæ in omni quæstu consistit, quæ nisi fuerit expresse conuentum, vt sit omnium bonorum, intelligitur contracta, vt sit vniuersorum, quæ veniunt ex quæstu, hoc est, si quid lucri ex emptione, venditione, locatione, conductione descendit. *l. Coire. ff. pro socio.* Quæstus vero intelligitur, qui ex opera, artificio, industria, vel cura, & diligentia cuiusque prouenit. *l. Quæstus. ff. pro socio.* Vnde non communicatur in tali societate hereditas, legatum, vel si quid donatum est, quoniam hæc veniunt ex charitate, liberalitate, vel alia causa, nõ ex quæstu. *l. Nec adiecit. ff. pro socio.*

Communicatur tamen æs alienum, quod nobis est debitum ex quæstu, non aliunde. *l. Sed nec æs alienum. ff. pro socio.*

Sed quid si quando societas contrahitur, dictum sit: vt quæstus, & lucrum communicetur? Respondeo, tunc etiam solum contrahi societatem quæstus: quamuis enim lucrum sit generalius, quam quæstus, nõ tamen extenditur ad aliud lucrum, nisi quod venit ex quæstu. *l. Sed et si adiecit. ff. pro socio.*

Sexto quaeritur, An possit socius vti re communi, vt suum priuatum commodum auget? Respondeo, posse, quando bona fide vitur, & dummodo id societati non noceat: nam si nocuerit, damnum omne resarcire debet: in l. Rei communi. ff. *pro socio*, aperte constituitur, vt contra eum socium possit agi actione furti, qui rem communem per fallaciam, dolose malo amouit, vel rem communem celandi animo contraheatur. Sed quidquid fiat in iudicio, vbi ex coniecturis, & iudicij sæpe proceditur, in foro conscientie non est furti reus, quia suo iure vitur ratione parit, quam in re communi habet: damnum tamen si quod dederit societati, compensare debet, quia rem communem minus diligenter, & fideliter administrat.

Septimo quaeritur, An socius, qui rem communem proprio, non communi nomine administrat, sibi totum lucrum acquirat: vt si rem communem vendiderit, vel locauerit? De hac questione Bartolus in l. Si patruus. C. *Communiam vtriusq. iudicij.* Siluester in verbo *Peculium 2. quest. 17. & 18.* Respondeo, eum socium sibi acquirere. *l. Si vnus ex socijs. §. Si vnus. ff. pro socio. & l. Si quis societatem. ff. eodem titulo:* debet tamen damnum omnium resarcire, si quod passi sunt socij. *l. Non ob eam, §. l. Et ideo. ff. pro socio.*

Item societatis iudicio cogitur rem communicare. *l. Si quis societatem. ff. pro socio. & l. Si patruus. C. Communiam vtriusq. iudicij:* si autem communi omnium nomine rem administrat, totum lucrum est commune: Verbi gratia, quod fuerit ex pecunia communi emptum, vel venditum, communi nomine communicatur. *l. Si ego. ff. de Negotijs gestis:* Si vero sit emptum ex communi re, dubitatur tamen, an id socius emerit se nomine, an communi, in dubio creditur emisse suo nomine. *l. Et magis. ff. de solutione.*

Octavo quaeritur, An is, qui inuenit thesaurum, illum cum socio debeat communicare? Respondeo, si in suo fundo, agro, vel domo, inuenit, ad communicandum non cogi, quia perinde est, ac si rem suam amissam inuenisset, aut nesciens vbi esset, postea reperisset: si vero in alieno inuenit, aut occultum, aut relictum, aut omissum ab aliquo, debet illum cum socio communicare, quia tunc ille aliqua sua opera, industria vel labore illum quæstus: ac proinde thesaurus videtur ex quæstu venire.

De alijs Societatibus.

CAPVT XVIII.

SOLET esse societas inter coniuges eorum bonorum, quæ constante matrimonio acquirunt.

Primo quæritur, An iure communi inter coniuges sit societas bonorum, quæ durante coniugio lucrificiunt eo ipso, quod simul habitant? Glossa in c. Cum societas 27. q. 2. affirmat, & probat ex cap. Significauit, de Donationibus inter vir. & vxor. sed Couarr. in epitom. de Matrimonio, par. 2. cap. 7. §. 1. num. 5. tradit, communem esse sententiam, talem societatem inter coniuges nec ciuili, nec canonico communi iure contrahi. Et quod dicitur in cap. Significauit, dicit intelligi de bonis, quæ constante matrimonio ex communi viri, & vxoris pecunia acquiruntur: ea enim bona diuidenda sunt, vt pote acquisita ex bonis vtriusque coniugis, vt ibi Doctores animaduertunt, & in cap. Cum societas 27. quest. 2. inter coniuges dicitur esse societas, nimirum ad habitandum simul, ad familiam gubernandam, ad prolem generandam, educandam, instituendamque. Nihilominus in Hispania legibus, & constitutionibus regijs decretum est, vt inter virum, & vxorem sit societas omnium bonorum, quæ stante matrimonio comparantur: idemque consuetudine in Gallia seruari, testatur Couarr. loco citato. Leges vero Hispanienses illæ locum habent, postquam vir, & vxor simul habitare ceperunt, & adhuc habitant, cum bona acquiruntur. nam si separatio coniugum facta sit, ita vt vir, & vxor non habitent simul, diuortio ob alterius adulterium auctoritate Ecclesie facta, bona, quæ postea acquiruntur, non omni ex parte communia sunt. Verbi gratia ob adulterium mariti, vxor diuortium petiuit, tunc quæ vxor acquirat, cum viro minime communicat. Et idem iuris est, si vir ob adulterium vxoris, diuortium procurauerit. At vero bona, quæ alter coniugum adulterij reus, facta diuortio acquirat, communia sunt, quia eius culpa separatus est à coniuge, thori fidem violando. Couarr. loco citato.

Predictæ itidem leges locum habent in coniugibus, qui bona fide sunt matrimonio coniuncti, quamuis ex occulto alioqui impedimento matrimonium minime subsistat, ibidem Couarr.

Secundo quæritur, An si maritus, matrimonio constante, nactus sit ex consolidatione vsumfructum agri, vel domus, cuius proprietatem ante contractum matrimonium habuerat, eiusmodi vsumfructus sit cum vxore communis? Teste Couarr. loco præallegat. num. 9. aliqui sentiunt esse communem, quia stante matrimonio, vir talem vsumfructum adeptus est. Sed horum sententiam confutat Couarruias. Primo, quia vsumfructus, quando cum proprietate consolidatur, iure proprietatis acquisitus censetur. l. Vsumfructus. ff. de Vsumfructu. & l. Si proprietati. ff. de Iure dot. ergo cum proprietate communis non sit, vsumfructus nequit esse communis. Deinde id quod contingit ex causa prioris, atque præterita, sine facto nouo, ad tempus causæ prioris, & præteritæ referri debet. l. In ratione si Imperator. i. ff. ad Legem Falcidiam. l. Pomponius 2. ff. de Negot. gestis. ergo vsumfructus, qui ratione pristina, & antiquæ proprietatis contingit, non dicitur ex causa lucri provenire.

Item, quæ accedunt rebus mariti, natura, & vi sua, non sunt illi cum vxore communia. l. Verum. ff. pro socio. Sic hoc exemplum: Maritus quando nuptias contraxit, fundum habebat æstimatum centum aureis, & stante matrimonio idem fundus mille aureis æstimatur, huiusmodi incrementum non est commune, ergo vsumfructus cum proprietate consolidatus, communis non fit, & proinde vsumfructus erit vxori cum viro communis, si matrimonio constante fundus fuerit à marito emptus, & causa emptionis vsumfructus cum proprietate consolidatus.

Ex his etiam efficitur, vt res solius viri sit, quam vsu ca-

pere ante matrimonium ceperat, postea stante matrimonio plene est adeptus: quoniam tamen res in viri dominium transiit ex facto, & possessione, quæ stante matrimonio contigerunt, vt dicitur cap. vlt. de Prescript. lucrum tamen huiusmodi ex vsumfructione, quæ ante matrimonium cepta, paulatim sua vi, & natura post matrimonium completa est, communicatur. Hinc etiam fit, vt emolumenta, & commoda in rebus mariti facta, constante matrimonio, ad ipsum pertineant, quamuis eorum pretium sit coniugum vtriusque commune, nisi res, quæ meliores redditæ sunt, ad ius primogenitorum spectent.

Quæres, an vbi extant predictæ leges, alter coniugum possit bonis, quæ sibi deferuntur, stante matrimonio, renunciare? Respondeo, posse, Glossa in cap. Significauit, de Donat. inter vir. & vxor. & Couarr. loco cit. Vnde maritus repudiare potest hæreditatem sibi delatam, vel legatum relictum: neuter tamen coniugum potest, quod sibi est debitum, remittere. Ratio vtriusque est, quia remissio debiti est quedam liberalis, & gratuita donationis species, & proinde qui remittit, aliquid ex suo donat: sed is, qui repudiatur rem, quæ sibi deferretur, nihil ex suo donat, vel amittit, quia nondum in re ius acquisiuit. Immo etiam si maritus creditores habeat, nihil eis nocet, si repudiet hæreditatem, vel legatum. Ita Couarr. quem dixi loco, num. 11. & 12.

De societate, quæ solet esse duorum fratrum inter se se.

CAPVT XIX.

DE hac societate Bart. in l. Si patruus. C. Communia vtriusque, iud. Petrus Perusinus, tract. de duob. fratribus. Angelus in verb. Peculium 2. Siluelt. eod. verb. Peculium 2.

Primo quæritur, An societas inter fratres contracta intelligatur eo ipso, quod habeant hæreditatem, vel patrimonium indiuisum? Respondet Bartolus loco cit. in hunc modum: Si neuter eorum negotiatur, societas non est contracta. Deinde, si vnus solus negotiatur, non contrahit societatem cum altero, qui nullam operam negotiationi dat. Si vterque negotiatur, eo ipso societas quæritur inter ipsos contracta censetur. Bald. in l. cum duobus §. si frater. ff. pro socio. & in l. Si patruus, supra cit. docet ex fratrum actibus posse colligi, etiam si non negotientur, an sit inter eos contracta societas: nam viri nobiles negotiati non consueuerunt. Nihilominus si in commune conferant omnia munera, dona, & stipendia, & quæ sibi legata sunt, eo ipso videntur inter se societatem inire, quoniam alioqui huiusmodi actus sunt sociorum.

Insuper si vnus ex fratribus, quamuis non negotiatur, omnia tamen cum alio fratre communicat, quæ sibi vndeque proueniunt, reuera cum illo societatem contrahit: si vnus iudem fratrum se in vna negotiatione exerceat, & tamen vterque in commune confert luera, & bona, quæ sibi obueniunt, eo ipso societatem inire creduntur.

Secundo quæritur, Quando omnium bonorum societatem coire fratres censentur? Respondeo, eos non contrahere societatem omnium bonorum, nisi id expresserint, quare solum contrahunt societatem quæritus, quando bona sibi obueniunt in commune conferunt.

Tertio quæritur, An quando frater natu maior res suas, & fratris comuni nomine administrat, ita vt frater alter ratum habeat, quod gerit, contrahat societatem? Respondeo, eum contrahere, ac proinde ex dolo, & lata culpa, vel leui teneri.

Quarto quæritur, An frater habens cum fratre hæreditatem, vel patrimonium indiuisum, debeat cum eo communicare omne lucrum sibi obueniens ex publico munere, & officij administratione? Respondeo, minime: quia

inter

inter ipsos non est contracta societas omnium bonorum, & proinde lucri, quæ ex publicorum munerum administratione descendunt, communicanda non sunt, cum ex questu non veniant. Siluest. *Peculium*, 2. *quæst.* 20.

Quinto queritur, quando frater contracta cum altero fratre societate, simpliciter bona castrensis, vel quasi castrensis in communem utilitatem impendit, an possit repetere? Respondeo, posse. Ita Bartolus *loco citato*, & Siluester *verbo Peculium*, *quæst.* 20. *ad finem*. Unde si frater ex bonis communibus, filiam suam dotauerit, eam dotem debet in suam partem computare. Bartolus, & Siluester *dictis in locis*.

Sexto, Quid dicendum, quando duo fratres simul habitant, & è communi mensa, cibo, & potu viuunt post obitum patris, & vnus eorum ex suo aliquid in communem victum impendit, idne iure repetet? Respondeo, si est contracta societas communis victus, non posse: bene tamen posse, si non contracta. Siluester ex Baldo, *Peculium*, 2. *quæst.* 22. & hoc locum habet, quando fratres sunt ætate maiores: lecus si alter est minor, aut furiosus, aut prodigus, cui sit publica auctoritate bonorum administratio interdicitur: tunc enim impensa facta in alimentis illius non reperitur, nisi is, qui impendit, expresserit se huiusmodi impensas non condonare, eo quod redditus communes ad alimenta sufficient: nec enim est vlla obligatio, qua ad id faciendum teneatur.

Septimo queritur, An quando fratres ex communi causa viuunt, & commune patrimonium habent, eo ipso societatem contrahere videantur, quamuis nihil aliud expresserint? Respondeo, non eo ipso, nisi verbis, vel factis alijs id significent, quamquam solum ex communi mensa viuunt, indiuisum patrimonium habentes.

Octauo queritur, An quando vnus ex fratribus, qui in eadẽ hereditate communi, & indiuisa succedunt, sumptus, & impensas facit in honoris, & dignitatis gradu consequendo, vel in nuptijs suis, aut filiorum, huiusmodi sumptus sint communes? Respondeo, minimè, nisi inter eos conuenierit, vt sint communes: quoniam nulla est inter eos societas contracta.

Nono queritur, An contracta inter duos fratres societate omnium bonorum, possit alteruter filias suas ex bonis communibus dotare? Respondeo, posse, quia in huiusmodi societate omnia bona legitime questita communicantur. Et proinde lucri, commodi, debita, damna, & pericula sunt communia: ergo frater vnus alteri debet contribuere, vt militet, si velit; vel vt filiam dotet, siue ad nuptias contrahendas, siue ad Religionis institutum capessendum.

De societate vring, libera, Italicè dicta A goder' à godere.

CAPVT XX.

VSITATVS est in Italia contractus, quo vnus dat alteri rem suam, puta, domum, & alter ipsi dat pecunias, & paciscuntur sic: Vtere tu domo mea, & ego vtar pecunia tua: & liberum est vtrique rem suam, vel pecuniam repetere. v.g. Titius dat Caio mille, & quadringentos aureos, & Caius dat Titio domum suam, quam locare solet quotannis centum aureis: & pactum est, vt quando Titius voluerit, repetat pecuniam suam à Caio, & reddat ipsi domum. Item, vt quocumque voluerit Caius, repetat domum suam à Titio, pecunijs restitutis.

Queritur iam, An hic contractus sit licitus? Videtur enim esse quædam societas vringue libera. Siluest. *in Rosa Aurea tract.* 3. *casu 65.* talem contractum, vt vsurarium improbat, & vsuram committi dicit à Titio, qui pecunias dat, quoniam eo ipso, quo retinet sibi ius repetendi à Caio, eas mutuo dat, & interim lucrum percipit, quia vtrius domo Caij, & in ea habitat, & nihil computat in fortem.

Alij vero censent licitam esse societatem, quia videtur esse contractus emptionis, & venditionis, cum pacto retrouendendi in gratiam venditoris, & emptoris. Titius enim domum emit à Caio mille, & quadringentis aureis, & vterque liberam facultatem habet dissoluedi contractum: sic nempè gratia exempli: Caius, qui vendit domum, potest, quando voluerit, restituere pretium Titio, & redire, siue repetere domum suam, quod est pactum retrouendendi in gratiam venditoris: & Titius quoque nutu suo potest domum Caio reddere, & repetere ab ipso pretium, quod dederat, quod est pactum in gratiam emptoris. At huiusmodi pactum, quamuis multi condemnent tanquam vsurarium, vt Sotus *lib.* 6. *de iust. quæst.* 3. *art.* 1. Nauarr. *in commentar. de vsur. num.* 97. alij tamen volunt esse licitum, vt Conradus *de Contractibus quæst.* 84. Gabr. *in 4. dist.* 15. *quæst.* 12. *art.* 3. *dub.* 4. Couarr. *lib.* 3. *Variarum resolutio. num.* cap. 9. *num.* 3. Maior *in 4. dist.* 15. *quæst.* 43. Medina *de Rebus per vsuram acquisitis, quæst.* 15. ergo licitus est talis contractus.

Meo iudicio difficile est, prædictum contractum liberare ab vsura, quia Titius, qui pecunias dat, ius habet eas repetendi: ac proinde mutuas eas dare videtur. Deinde fiteor, Conradum, Medinam, & Couarruiam dixisse, licitum esse pactum retrouendendi ad voluntatem emptoris, sed ingenue tamen illi consentitur, non esse in Republica permitendum, quia vsuræ speciem, & figuram habet.

Præterea si quis licitum esse fateatur pactum huiusmodi, necesse est, vt etiam dicat, pereunte fortuito Caij domo, videlicet incendio, ruina, inundatione fluminis, apud Titium totam emptionem, & venditionem finiri, nec posse Caium domum repetere, nec Titium cogi aliquid loco domus Caio restituere, quia Titius domum emit à Caio pretio soluto; ergo nihil amplius debet; nec Caius iure compellitur Titio pretium reddere, quia domus fortuito perijt, ergo eam amplius non redimit, & proinde pretium sibi iure retinet, quia res vendita petit emptori, non venditori, quod non fit in hoc contractu.

Postremo dubitari nequit, quia sint impares conditione Caius, & Titius: nam plus oneris sustinet Caius, quam Titius. Titius enim habet ius repetendi suam pecuniam, & Caius suam domum: sed facilius est Titio domum reddere Caio repetenti, quam sic Caio pecuniam restituere Titio reposcenti: difficultas enim est, pecunias, quas non habes, restituere, quam reddere domum quam tenes, ac proinde plus pretij dandum est Caio, qui plus oneris suscipit.

Ex his perspicitur vsurarium esse talem contractum inter Titium, & Caium, si in omnem euentum Caius debet pecuniam Titio restituere, & vsuræ peccatum Titius committit mutuas dans pecunias, & lucrum, quod ex domo Caius percipit, non computans in fortem.

Querens, An Titius, & Caius possint aliquo modo licito quem diximus contractum inter se inire? Conradus, Medina, & Couarruias dicent posse in hunc modum: Si Titius aureos mille & quadringentos dat Caio, tamquam pretium, quo emit ab eo cæsum annum centum aureorum, & Caius locat ipsi Titio domum suam ad tempus, ad quod Titius voluerit conducere, qua ex locatione reddit quotannis totidem aureos; quia Titius centum ipsi Caio debet ex domo conducta: & Caius quando voluerit, potest censum redimere, quo redempto, repetet domum suam, & Titius potest, quando sibi libuerit, à contractu locationis recedere, hoc est, reddere Caio domum suam, & repetere pecunias suas. Sed tunc necesse est, vt censum, quem Caius Titio vendit, constituar in re aliqua certa immobili, & fructifera, ac ea in totum, vel ex parte pereunte, perit census in totum, vel ex parte, ita vt censum integrum exigere amplius non possit: & nihilominus cogitur Titius secundum consentientiam dare Caio quotannis centum aureos, tamquam pretium domus sibi locata: Rursus si domus Caij locata Titio fortuito pereat, vel desinat reddere ex locatione quotannis centum aureos, necesse est, vt Caius reliquum aliunde suppleat, vt annum censum totidem

aureorum Titio soluat. Denique si sunt duo contractus, censuales emptio, & locatio domus debent habere conditiones in censibus, & locatione requisitas: at pactum retrovendendi ad nutum emptoris, quod facit talem societatem vtrinque liberam, est valde suspectum, & meo iudicio improbandum. Dices, possunt Titius, & Caius inire contractum, in hunc modum: Titius dat Caio domum suam, & Caius vicissim dat Titio domum suam ea lege, ut alter re alterius utatur, & liberum sit alterutri domum suam repetere, quando voluerit, ergo fas est Titio dare pecuniam, & recipere ab eo domum, ut alter alterius re utatur, & quando voluerit repetat suam. Respondeo, non esse idem iuris, quando uterque alteri dat rem immobilem, qualis est domus, vel fundus, vel mobilem, sed quae vti ipso non statim consumitur, cuiusmodi sunt res, quae commodantur, locantur, vel venduntur; in his enim potest usus vnus rei cum usu alterius commutari. Quemadmodum si tu mihi commodes boues tuos ad tri-duum, ut ego colam agrum meum, & vicissim ego ad tres dies deim tibi boues meos, ut agrum tuum ares. Idem etiam est, si tu mihi des mutuum rem, quae in pondere, numero, vel mensura consistit, ut ego mutuum dem aliam eiusdem functionis, & usus. At verò aliud est, quando vnus dat pecuniam, ut ea alter utatur, & recipit ab eo rem immobilem, vel mobilem, quae mutua non datur, sed commodatur, locatur, vel venditur: tunc enim qui pecuniam dat, videtur eam mutuum dare.

Secundo obieciēs, in quibusdam locis Italiae huiusmodi contractum esse usu receptum, ergo non videtur condemnandus. Respondeo, iis in locis emptioem, & venditionem cum pacto retrovendendi ad voluntatem vtriusque venditoris & emptoris, vel emptioem census, & locationem rei alicuius cum pacto retrovendendi: census in gratiam emptoris, & venditoris, esse usitatum, & qui contractum talem inueni, sequi videtur sententiam Contradi, Medinae, & Couarruiae, affirmantium licitas esse secundum conscientiam venditiones, & emptiones cum tali pacto: quod tale pactum, ut dixi, quatenus est ad nutum emptoris, ceteri condemnant.

Tertio opponēs, posse eum, qui pecunias dat, eas repetere cum emolumento, & commodo, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Respondeo, tunc, si ita est, huiusmodi contractum non esse absolute, & simpliciter licitum, sed solum, quando qui pecunias dat, amittit, quod alioqui esset lucraturus, vel damnum patitur, quod alioqui deuitaret, si suas pecunias haberet: ac proinde ex accidenti solum, non per se contractus est licitus.

DE MANDATO.

SEQVITVR quartus ordine contractus, qui solo consensu perficitur, nempè Mandatum. Porro in iure Ciuili extat titulus *Mandati, vel contra*, qui est primus in Digestis libro 18. & in Codice lib. 4. est titulus 34. *Mandati, vel contra*, & in Institut. lib. 3. titulus 27. est *de Mandato*. In iure Canonico nullus est titulus mandati. Est tamen titulus 38. *de Procuratoribus* lib. 1. Decretalium. Procurator autem mandatum habet de re Domini procuranda. Mandatarius vero latius patet, quam procurator.

Instit. Moral. Pars 3.

Quenam sit ratio, & natura mandati.

CAPVT I.

PRI MO quaeritur, vndenam veteres mandatum dixerint? Respondeo, mandatum esse quasi manu datum: eo quod veteres in mandatis dandis, & accipiendis manus sibi inuicem dare consueverant: quem etiam morem in multis promissionibus vulgus obseruat, & tenet. Itaque mandare, generatim significat, alicui gerendum aliquid, & exequendum committere.

Sunt autem mandata, publica, & priuata. Publica mandata dicuntur proprie praecipia, siue edicta magistratuum: quae quidem sunt necessitatis, & sic iulianus accepit in *Authent. de mandatis Principum*. Priuata vero mandata dicuntur, cum negotium aliquod in iudicio, vel extra iudicium nostro nomine conficiendum, amice, & bona fide alicui commendamus. Mandatur itidem alteri aliquando iurisdictio, ut litem aliquam componat, & dirimat, vel sententiam in reum ferat, vel ut in aliquem inquirat, & animaduertat.

Aliquando mandatur alicui lis exercenda, & tractanda: & ita constituitur procurator ad lites, & iudicia. Aliquando mandatur alicui negotia gerenda, & bonorum, ac rerum administrationes, & tunc constituitur procurator negotiorum, vel administrator bonorum. In praesenti, mandatum accipimus, quatenus alicui negotium aliquod gerendum, amice, & bona fide committimus.

Secundo quaeritur, quid sit mandatum, ut est quidam contractus? Respondeo, esse contractum, quo quis officium honestum, & lege permillum, gratuito, expresse, vel tacite suscipit exequendum: sic Azo, Accursius, Bartolus, & Baldus, & alij in *Rubrica mandati*.

Dicitur *Contra* loco generis.

Officium honestum, quia de turpi, & mala, nec dari, nec accipi mandatum debet; ac proinde non obligat accipientem, *Instit. de Mandato §. Illud quoque*.

Lege permillum, quia mandatum contrahit, si cum lege naturali, Diuina, Canonica, vel Ciuili pugnet.

Gratis, quia si quis officium, vel negotium gerendum certa mercede recipiat, erit locatio operatum, non mandatum: *l. i. ff. Mandati, & Instit. de Mandato §. ultimo*. Vnde hic contractus originem suam ex amicitia, & beneuolentia trahit. *l. i. ff. Mandati*. Quare mandatum voluntarie quidem suscipitur: sed susceptum iam obligat accipientem mandatori.

Expresse, vel tacite, quia mandatum dupliciter contrahitur, expresse quidem, ut si tibi mandauero, ut mihi fundum, vel librum emas, aut domum conducas, vel pro me soluas, aut creditori meo satisfacias.

Tacite, ut si ego sciens, & tacens patiar, ut tu metum aliquod negotium geras, eo ipso videor mandare negotium. *l. Qui patitur, ff. Mandati, & l. Qui fide, ff. eodem tit.* Secus est, si quis me absente mea negotia tractauerit absque meo mandato: tunc enim inter me, & ipsum non est contractum mandatum, quia nec expresse, nec tacite ei mea negotia agenda commisi: sed est quasi contractus, qui dicitur, (Negotiorum gestorum,) quatenus aliquis rem meam amice, & vtiliter gerit.

Tertio quaeritur, cuius iuris sit mandatum? hoc est, an iure naturali, an verò Ciuili, mandati contractus sit introductus? Respondeo, esse iuris gentium contractum: nam ipso rationis ductu apud omnes gentes sit, ut vnus alteri suum aliquod negotium conficiendum amice, & bona fide commendat. Si quaeras, an mandatum sit contractus bonae fidei? Respondeo esse bonae fidei contractum, ut patet *Instit. de Actionibus §. Actionum*. Porro is, qui mandatum suscipit, dicitur vulgo mandatarius: is qui dat, mandator.

L1

Quarto

Quaro queritur: cuius gratia mandatum contrahatur? Respondeo ex l. 1. ff. *Mandati, & Institut. de Mandato. §. 1.* Mandatum, potest contrahi primo gratia solius mandatoris: vt si tibi mandauero, vt mihi atomata Venetijs emas. Secundo causa mandatoris, & alterius: veluti si ego tibi mandauero, vt mihi Mediolani librum emas, & alium Titio. Tertio, solum gratia aliena: veluti, si tibi mandauero, vt Titio Neapoli certas aedes conuectas. Quarto, gratia mandatoris & mandatarij, vt si mandauero tibi, vt in Hispania tractes negotia mihi, & tibi communia. Quinto, gratia mandatarij, & alterius: veluti si tibi mandem, vt Florentia geras negotium, quod est tibi cum Titio commune. Si roges, an tiam mandatum contrahatur solum gratia mandatarij? Respondeo, minime, vt habetur in l. 2. ff. *Mandati*: neque enim mandatum tibi dari potest, vt tuum negotium geras, vel vt fundum, aut librum tibi emas. Consilium quidem tibi datur, vt haec, vel illa tua negotia geras, non tamen mandatum: Contractus enim mandatum est, non consilium. Obijcies: dum Titius petere a me pecuniam mutuum, aut pro alio fidem mihi sum offerret, ego autem nollem, aut eum debitorem habere, aut fideiussores, quod mihi suspecta, & dubia esset eius fides, tu mihi scripsisti, aut dixisti, vt id facerem, & affirmasti eum esse fidelem. Cum quis idem veller, mihi inferuire, & ego nollem admittere, propterea, quod homo ille mihi esset ignotus: tu mihi dixisti, vt eius opera vterer, eo quod satis exploratam eius fidem haberes.

Item si mihi mandes, vt pecunias meas potius in emptiones praediorum collocem, quam facerem in his, vel alijs similibus videris mihi obligatus more mandatoris, & tamen mandatum a te mihi datum, solum est gratia mei. Respondeo, quatenus id, quod mihi dixisti, est in vilitatem meam, solum esse consilium a te mihi datum, non autem mandatum: ex consilio autem nemo obligatur, videlicet ei, cui consilium dat. l. 2. ff. *Mandati*: & liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium. l. 2. modo citata.

Quot modis mandatum diuidatur.

CAPVT II.

MANDATUM variè diuiditur, aut enim est voluntatis, aut necessitatis. Voluntatis mandatum dicitur illud, quod existit, ac pendet à voluntate mandatoris. Necessitatis verò mandatum est, quod lege, & iure constituitur: quale mandatum habent tutor, curator, procurator, syndicus, & alij similes legitimi administratores, Bart. in l. *Creditor. §. Duobus. ff. Mandati. Iason in l. Rogasti. §. Si fugiuus. ff. Si certum petatur.*

Secundo, mandatum diuiditur in mandatum generale, & speciale: Generale mandatum est, veluti cum quis mandat alicui, vt sua omnia negotia gerat, vel sua omnia bona administrat, & curet. Speciale mandatum est, cum datur mandatum alicui ad certam rem componendam, vel ad certum negotium tractandum.

Tertio, Mandatum duplex est, expressum, vel tacitum. Mandatum expressum est, quod datur alicui consensu ipsius mandatoris, verbis, vel signis expresso. Tacitum est mandatum id, quo quis sciens, ac prudens patitur, vt ab alio res sua geratur: vt si ego sinam, vt tu pro me fideiubeas, vel soluas: nam eo ipso videor tibi mandatum dare, vt pro me soluas, vel fideiubeas. l. *Qui fide. & l. Qui patitur. ff. Mandati*, & Baldus in l. *Quicumque. §. 1. ff. de Institoria actione*, idem quoque Baldus in l. *Si fideiussor. C. Mandati*. Hoc tamen Mandati genus locum non habet, vbi res turpis est: is enim qui non prohibet, sed sciens tacet, non eo ipso mandatum dare videtur, vt quid turpiter fiat. Innocentius in cap. *Ex parte Decani, de Rescriptis*. Porro, Mandatum tacitum probatur ex scientia, & patientia Domini,

hoc est, ex eo, quod quis facit sciente, & patiente Domino. Abbas in consil. 7. in dubio secundo, & dubio tertio, libro secundo. Calderinus consil. 4. in titulo de Procuratoribus, Bartolus in l. *Sapè. ff. de re iudicata*. Vnde deducit Baldus in l. *Cum oportet. ff. De bonis, qua liberis*: Si pater sciens, filium solum fecerari, & dedit ei pecunias, cogitur pater ex tacito mandato restituere vfuras quaesitas per filium.

Item si quis procurator producat in iudicio instrumentum, tacitum mandatum habere creditur ex eo, quod in iudicio instrumentum produxerit. Bartolus in l. *Vulgari. ff. de Administr. & peric. tutor.*

Præterea, verbis obicaris, vel ambiguis mandatum tacitum aliquando datum censetur: vt si Dominus iniuria affectus ab aliquo, dixerit famulo suo: Nunquam domum meam redes, nisi audiero aliquid de illo negotio: si famulus postea interfecerit eum, qui iniuriam Domino intulerat, eo ipso videtur Dominus quasi tacite dedisse mandatum. Bartolus in l. *Si quis mihi bona. §. Pater Scio. ff. de Acquiren. hered. Abbas, & Ancharanus in c. Ex literis, de excessibus Prælatorum, Iason. in l. C. de Sena fugitino.*

Quarto, Mandatum, aut datur pure, absolute, & simpliciter, aut sub conditione. l. 1. ff. *Mandati, & Institut. de Mandato. §. penult.* Quod si conditio impleta non fuerit, tunc mandatum habetur perinde, ac si datum non esset. l. *Pecuniam. ff. Si certum petatur, & l. Necessario. ff. de Periculo, & comm. rei vendita.*

Vltimo, Mandatum, aut datur in diem, vel ad diem veluti, si mandauero tibi, vt Titio soluas, vel satisfacias creditori meo in diem Paschatis. *Glossa in l. Si mandauero. ff. Mandati*, ad diem, vt si tibi mandauero, vt pro me fideiubeas vsque ad certum diem. Vnde etiam per medietatem dies prorogetur, mandataris, vel procurator non potest amplius agere. Ioan. Andreas in additione ad Speculatorem, titulo de procuratoribus. §. *Ratione, & cap. Cum olim. de Offic. delegat. & cap. Si quem, de procur. cap. Significauit. de appellat.*

Quinam possint iure communi mandatum dare vel accipere.

CAPVT III.

POSSUNT mandare alteri, vel mandatum accipere, qui alicui contrahere possunt, nisi vel à dando, vel accipiendi mandato prohibeantur.

Militibus interdictum est, ne dent mandatum alicui ad conuocandas res aliorum. l. *Milites, & l. Vltima. C. de Locato.*

Item curiales, hoc est, qui sunt curiae adstricti, & obligati, vt decuriones, nequeunt mandatum dare alicui ad conuocandum res. l. *Curialis. C. de Locato.*

Præterea pupillus, vt minor, nequit alteri mandare, vt pro ipso aliquid soluat absque auctoritate tutoris, vel curatoris, vel iudicis. Bartolus in l. *Si vero. §. Adolefcent. ff. Mandati*. Nec item potest alicui mandatum dare, vt pro se in iudicio constiterit: quia sicut pupillus, aut minor nequit sine tutore, vel curatore in iudicio respondere, sic nec potest alteri mandare.

Monachus, vel religiosus nequit sine consensu superioris, mandatum vel dare, vel accipere, quia nec velle, nec nolle habet. cap. *Religiosus, de Testament. in Sexto. cap. Quorundam de elect. in Sexto. cap. Religiosi, de Sepulch. in Sexto. cap. Non dicatur. 12. quæst. 1.*

Primo queritur, An filiusfamilias possit vel dare, vel accipere mandatum ad soluendum pro alio? Respondeo: si filiusfamilias habeat castrensia, vel quasi castrensia bona, vel aduentitia, in quibus pater vfumfructum non habeat, potest mandatum accipere ad soluendum pro alio, nõ tamen, si talibus bonis careat.

Quid

Quid vero si filiusfamilias mandato alterius centum soluat? num hæc solutio ex mandato subsistat? Respondeo, illam subsistere, in cap. Qui generaliter de procur. in 6. Quid, si etiam mandato alicuius constituatur procurator abique consensu patris? Respondeo, mandatum valere: nam ut constat ex cap. Qui generaliter. §. 1. De procuratoribus in in Sexto: Nescimus ad negotia, sed etiam ad iudicia potest filiusfamilias abique patris assensu fieri procurator. Item ex l. Filiusfamilias. ff. De procuratoribus, pater, filiusfamilias, etiam si peculium castrense non habeat, posse sine patris assensu procuratorem dare ad negotia, ad lites, & pacta, si fuerit vim vel iniuriam passus.

Secundo quaeritur, An inter patrem, & filium possit contrahi mandatum? v. g. si pater filio mandauerit, ut soluat Titio creditori certam pecuniam, filius ex mandato teneatur, & possit à patre reperere, quod pro eo soluit Titio? Item si quis mandauerit filio, ut pro eo soluat suo patri creditori, an filius ex mandato teneatur? Respondeo, si filiusfamilias habuerit castrense, vel quasi castrense peculium, vel aduentitium, in quo patri vilius fructus non sit, posse inter patrem, & filium interuenire mandatum: at si filiusfamilias tantum habeat peculium profectitium, tunc inter patrem, & filium non contrahitur mandatum, cum ex bonis patris soluat filius, quando aliquid soluit ex peculio profectitio. Quid si Titius mandat Scio, ut det pecuniam Caio filiofamilias, tale ne mandatum subsistat? Respondeo ex l. Si quis mandauerit. ff. Mandati, ubi hæc verba habentur: [Si quis mandauerit filiofamilias credendam pecuniam non contra Senatusconsultum accipienti: sed ex ea causa, ex qua de peculio, vel de in rem verso, vel quod iussu patris teneretur, erit licitum mandatum. Hoc amplius dico, si eum dubitarem, verum contra Senatusconsultum accipienti, an non essem daturus contra Senatusconsultum accipienti, & intercesserit qui diceret non accipere contra Senatusconsultum, & periculo meo (diceret) crede, bene credis: arbitrator locum esse mandato, & mandato eum teneri:] Sic ibi.

Tertio quaeritur, An si mulier matrimonio coniuncta mandet alicui, ut pro ea fideiubeat, ille mandati actione teneatur? Teneatur l. 2. C. Ad Senatusconsultum Velleianum: quia, ut in ea lege habetur, sicut potest seipsam alteri principaliter obligare, cum in rem suam se obstringat, sic etiam potest alteri mandatum dare, ut pro ea fideiubeat, & seipsam obliget creditori.

Quid si mandet alteri, ut fideiubeat pro alio? Mandatum tunc non subsistit, quia obstat Senatusconsultum Velleianum. Vnde in l. Si mulier hereditatem. §. Si mulier ne ipsa. ff. Ad Senatusconsultum Velleianum, dicitur: [Si mulier ne ipsa intercederet, alij mandauit, ut id faceret, an in huius persona locus huic Senatusconsulto sit, qui rogatu mulieris id faceret: totus enim sermo Senatusconsulti ad petitionem non dandam aduersus ipsam mulierem spectat. Et puto rem ita esse distinguendam; ut si quidem creditor, cui me obligauit, mandante muliere, hoc in fraudem Senatusconsulti egisset, ne ipsa interueniret contra Senatusconsultum, daret autem alium, excludendum eum, exceptione fraudis Senatusconsulto factæ. Si autem ignorasset, ego autem scissem, tunc mandati me agentem cum muliere excludendum esse, me autem creditori teneri.] Sic in ea lege.

Quarto quaeritur, An is, cuius bona publicata sunt, si mandauerit alteri, ut ea bona emat, valeat mandatum? Vallet. l. Si mandauerit. §. Is cuius bona. ff. Mandati, cuius legis verba sunt: [Is cuius bona publicata sunt, mandare alicui potest, ut ea emat: & si emerit, utilis erit mandati actio, si non praestet fidem. Quod ideo receptum est, quia publicatis bonis, quicquid postea acquiritur, non sequitur fiscum.] Sic ibi.

Quinto quaeritur, An qui est excommunicatus, dare, vel accipere mandatum queat? Respondeo, mandato alterius procuratorem constitui non posse, etiam si occulte tantum sit excommunicatus, quia capax officij non est,

Instit. Moral. Pars 3.

ut colligitur ex cap. Post cessionem, de probat. ac prouide, quæ gesserit, vim non habent, quamuis ob communem errorem populi, qui bona fide credit eum non esse excommunicatum, valeant, si auctoritate superioris fuerit eius officium confirmatum, argumento sumpto ex l. Barbarius. ff. De officio pratoris: Si autem nominatum denunciatus sit, tanquam excommunicatus, vel fuerit notorius clerici percussor, mandatum ad negotia, vel ad lites, vel negotia, dare nequit, hoc est, procuratorem dare, siue conlucere non potest ad lites, vel ad negotia. Secus verò, quidam aiunt, est, si occulte, vel etiam manifeste, non tamen nominatum denunciatus excommunicatus sit, nec sit notorius clerici percussor, quoniam cum eum vitare non cogimur, potest procuratorem dare ad negotia gerenda, vel ad lites, & iudicia. Sed dicendum existimo generatim imprimis, nullum excommunicatum posse procuratorem dari ad lites, siue iudicia. Nam in cap. Vltimo de procuratoribus habetur: [Si collegium procuratorem constituunt, & inter collegas is, qui praestit, excommunicatus fuerit, & nominatus expresse in literis, quibus procurator creatur, aut eius auctoritate fuerit institutus, aut ipsium ipsi collegæ scouerint esse excommunicatum; irrita est procuratoris electio.] Sic ibi. At si excommunicatus sit reus, potest seipsum in iudicio defendere, & ad id procuratorem dare, cap. Intelleximus de iudic. tunc enim per alium debet in iudicio respondere, vnde cogitur procuratorem creare. Si autem nullum inueniret, qui procuratoris officium suscipere vellet, aut non inueniret hominem sibi fidelem, possit per se ipsum respondere, excipere, & appellare, & alia, quæ ad sui defensionem spectant. cap. Cum inter, de exceptio. Et sicut actor in iudicio esse, vel procuratorem dare ad agendum in iudicio non potest, sic etiam nequit reconuenire. cap. Cum inter, de exceptionibus.

Sexto quaeritur, An seruus possit procuratorem dare? Potest ad sua peculiaria negotia gerenda, non ad lites, siue iudicia. In quo differt à filiofamilias, qui ut dixi, potest procuratorem constituere ad negotia, & ad lites, ut se defendat, vel agat, si fuerit vim, vel iniuriam passus. Seruus id non potest. l. Seruum. ff. De procurat. At is, qui de statu suo litigat, videlicet, sit ne seruus, an liber, potest procuratorem habere, non solum in administratione rerum, sed etiam in actionibus, quæ ei, vel aduersus eum competunt. l. Seruum, nuper allata. Hic etiam potest ab alio procurator dari. l. Seruum praedicta. §. Ex contrario, ubi legitur: [Ex contrario quoque cum procuratorem dari posse manifestum est. Publicè vole est absentes à quibuscumque defendi: nam & in capitalibus iudicijs defensio datur. Vbi- cunque itaque absens quis damnari potest, ibi quemuis verba pro eo facientem, & innocentiam excusantem, auctori æquum est, & ordinarium admittit, quod ex rescripto Imperatoris nostri apparet.] Hæc ibi.

In quibus rebus mandatum consistat.

CAPVT IV.

PRIMO quaeritur, An de re turpi possit mandatum dari, vel accipi? Minime. l. Si vero non remunerandi. §. Si adolescens. ff. Mandati, & Instit. De mandato. §. Illud. Vnde si quis mandauerit alteri, ut hunc, vel illum occidat, nullum est mandatum, nec vlla inde existit mandati actio, quamuis si mandatarius occiderit, mandator culpam contrahat, & reus poenæ sit, quæ est in homicidas constituta. Et hoc est, quod dicunt Bart. in l. Non solum. §. Si mandati. ff. De iniur. & alij Iuriconsult. teste Iul. Clau. lib. 3. sententiarum recepta. §. Practica criminal. quæst. 39. num. 3. eum scilicet, cui quis mandauit, ut alium occideret,

LI 2

ex man-

ex mandato non teneri, sed ob mandatum, hoc est inter eos mandati contractum, siue actionem non interuenire, & vnus possit aduersus alterum agere, sed vtrunque prenam mereri ob factum, hoc est, ob eadem ab vno patratam, & mandatam ab altero, & ita aduersus vtrumque datur actio ex maleficio, & ex re ipsa. *l. Ex maleficio. ff. De actionib.*

Secundo quaeritur, An mandatum de re incerta datum valeat? Valeat secundum Glossam in *l. 2. ff. Mandati*, puta, si tibi mandauero, vt mihi fundum emas, & nec exprimo, quem fundum, nec pretium: quantum Salicetus dixerit non subsistere mandatum, si res, & pretium sit incertum. Sed verius est, quod dixit Glossa: nam cum mandatarij diligentia, & industria eligatur, licet res, & pretium sit incertum, mandatum intelligitur, vt fundus sit vilis, & commodus, & pretium sit iustum, & moderatum.

Tertio quaeritur, An mandatum de re propria emenda subsistat? Minimè. *l. Neque. ff. De Reg. iuris.*

Quenam ad mandati substantiam, vel naturam pertineant.

CAPVT V.

MANDATI contractus primum requirit mandatoris, & mandatarij consensum: nam mandatum consensu contrahitur. *l. ff. Mandati*. Vnde potest contrahi, & verbis, & iuribus, & signis experimentibus consensum, & inter praesentes, & inter absentes, per nuncium, & literas. *l. ff. Mandati. c. l. Si literas. C. eodem titulo.*

Secundo ad substantiam mandati pertinet, vt obligationem praecedat, non sequatur, eo quod mandatum damus alicui de eo quod volumus, vt faciat. Quare in *l. Si verò. ff. Mandati*, dicit Iuriconsultus: [Si ego credens Titium pecunia mutua indigere, tibi mandauero, postquam pecuniam mutua ei dedidi, vt Titio pecuniam crederes, non valet mandatum.]

Tertio postulat substantia mandati, vt sit de re bona. *l. Si verò. ff. Si adolesem. ff. Mandati. c. l. Instit. eod. titulo. ff. Illud.*

Quarto requirit mandatum, vt in eo dando mandator certam formam praescribat, quam mandatarius in exequendo seruare debeat: nam in mandato contrahitur necessario, vt quis cui mandet, in qua causa, & negotio, & contra quem mandet. Si quaeras, quibus verbis mandatum contrahatur? Respondeo ex *l. 1. ff. Mandati*, contrahi his verbis, volo, in iudo, rogo: non autem verbis, ad moneo, exhortor, consilium do, commendo. *l. Idem quis. ff. Si quis ea. ff. Mandati. c. l. Si verò non remunerandi. ff. Cum quidam. ff. eodem titulo.*

De obligationibus, quae ex mandato proueniunt.

CAPVT VI.

PRIMO quaeritur, ex qua culpa mandatarius teneatur? Glossa in *Instit. De mandato. §. Mandatum, in verbo Iusta causa*, & in *l. A procuratore. C. Mandati. in verbo. Et omnem culpam*, ait Bernardum, & Ioannem, & Azonem interpretes dixisse, mandatarium teneri ex dolo, & lata culpa, & leui, & leuissima, vt dicitur. *l. In eo mandato. ff. Mandati*. vbi legitur: [Aliena negotia exacto officio geruntur.] Et in *l. A procuratore. C. de mandato*, vbi habetur: [A procuratore dolum, & omnem culpam, non etiam improbitum casum praestandum esse, iuris auctoritate manifeste declaratur.] Si omnem culpam, ergo etiam leuissimam: quia qui totum dicit, nihil exclu-

dit. Alios verò dicit eadem Glossa, nimirum Odofredum, & Martinum, putasse solum teneri ex dolo, quando mandatum datur gratia solius mandatoris; & ex culpa leui, quando mandatum est gratia vtriusque, vt in *l. Contractus. ff. De Regul. iuris, habetur. c. in l. Idem que. ff. Mandati*. Sed primum, inquit Glossa, est verius, cum hic contractus multum discrepet ab alijs contractibus. Sic Glossa. Ita etiam senserunt Cynus, & Iacobus Arena in *l. A procuratore. C. Mandati*, & Dinus in *cap. Contractus de Reg. iuris in Sexto*. Et probant, quia is qui mandatum suscipit, sese mandatori obligat ad exactam curam & diligentiam, eo quod ob solam industriam eligitur. Sed reuera, cum mandatum nunquam sit gratia solius mandatoris, nunquam mandatarius ex leuissima culpa mandatori obligatur, nisi de ea expresse conuenerit, aut nisi sese obtulerit ad mandatum exequendum, cum mandator alium vellet eligere: tunc enim tacite videtur omnem diligentiam suam promississe. Quare si mandatum sit solum causa mandatoris, tunc mandatarius ex dolo tantum, & lata culpa tenetur. Quando vero mandatū est in utilitate vtriusque, tunc mandatarius etiam ex leui culpa obligatur. Praeterea si mandatarius salarium accipit, obligatur ex dolo, & lata culpa, quemadmodum fideiussor. Reuera dubitari non potest, quin illi veteres Iuriconsulti seuerus egerint in eos, qui mandatum non modo malitiosius gessissent, sui que stus, aut commodi causa, verum etiam negligentius, quia laedere, & violare viderentur amicitia fidelem, & vita societatem. Vnde mirum non est, si voluerint, mandatarium ex dolo, & omni culpa teneri.

Secundo quaeritur, An mandator mandatario teneatur ex casu fortuito? Innocentius, & Panormitanus in *cap. Sicut, de Iureiurando*, & Ioannes Andreas in *cap. Damnum, de Reg. iuris in Sexto*, censent actione mandati mandatarium petere debere, vt mandator sibi soluat impensas, quas fecit gratia mandati exequendi: item vt resarciat sibi damna, quae ventura verisimiliter prauideri poterunt, quia mandator ea cogitare debuit à principio. Id autem probant argumento sumpto ex *l. Nefarius. ff. De negotij gestis*. Sane in *l. Inter causas. §. Non omnia. ff. Mandati*, sic habetur. [Non omnia, quae impensurus non fuit (Procurator) mandatori imputabit, veluti quod spoliatus sit à latronibus, aut naufragio res amiserit, vel languore suo suorumque apprehensus quaedam etogauerit: nam haec magis casibus, quam mandatori imputari oportet.] Ex qua lege colligi videtur, mandatorem non obligari mandatario ex casu fortuito. Et in *l. Si quis alicui. §. Morie quoque. vers. Impendia. ff. Mandati* statuitur: Impendia exequendi mandati gratia facta, si bona fide facta sunt, restitui omnino debere, nec ad rem pertinet, quod is qui mandasset, potuisset, si ipse negotium gereret, minus impendere. Et in *l. Si seruus communis. ff. De furtis* dicitur: Quod si sciens quis ignoranti furem pignori dederit, omni modo Dominum praestare cogendum esse. Quod vero ad mandati actionem pertinet, dubitare se ait, num & què dicendum sit, omni modo damnum praestare debere: & quidem hoc amplius, quam in superioribus causis, seruandum esse, vt etiam si ignorauerit is, qui certum hominem emi mandauerit, furem esse, nihilominus tamen damnum decideret cogatur. Iustissime enim procuratorem allegare, non fuisse se id damnum passurum, si id mandatum non suscepisset. Ex quibus duabus legibus videtur elici, mandatorem teneri mandatario ex casu fortuito: quod aduersatur ei, quod habetur, vt dixi, in *l. Inter causas. §. Non omnia. ff. Mandati*.

Quare dicendum videtur cum Innocentio, Ioanne Andrea, & Panormitano in locis supra citatis, mandatorem teneri mandatario ex casu fortuito, qui potuit initio à mandatore cogitari, & prauideri: & in hoc locum habent leges modo citatae: *Si quis alicui, c. si seruus communis*.

At vero non obligatur mandator mandatario ex casu fortuito, qui cogitari, & prauideri non potuit, & in hoc

locum

locum habet, quod dicitur in *l. Inter causas. §. Non omnia. ff. Mandati*. Hinc etiam est, ut mandator teneatur mandatum soluere impensas necessarias ab eo factas gratia mandati implendi, veluti si procurator duos, vel tres equos eoaduxerit ad iter faciendum, non tamen si plures eoaduxerit, quam debuit, videlicet ob pompam. Idem Iuris est, si res secum necessarias deportauit, & in illis deportandis impensas fecerit: secus vero est, si res non necessarias secum detulerit, & earum causa aliquid impenderit. Item si res necessarias, gratia mandati perficiendi casu fortuito perierint, cogitur mandator damnum reficere, etiamsi vna cum rebus necessarijs cetera superuacanea intercederint, dummodo causa non fuerit, ut res necessarias perierint.

Quæres, an hæc, quæ dicta sunt, locum habeant in ijs, qui stipendio conducuntur ad aliquid agendum, cuiusmodi sunt milites stipendijs adducti ad bellum gerendum, in quo damnum sustinuerint? Respondeo, locum non habere, nisi in mandatarijs, qui gratis mandatum suscipiunt, quia mandatum est gratuitum, non mercenarium officium, ut dixi supra ex *l. ff. Mandati*.

Quæres itidem, An locum habeat in his qui causa pietatis, vel consanguinitatis, & cognationis negotium gesserint, cuius causa damni aliquid passi sunt? Respondeo, minime, quoniam non causa mandati, sed pietatis, vel cognationis rem egerunt: sicut etiam non habent locum in his, qui id faciunt, quod debent, videlicet, ut Deo magis, quam hominibus obediant, iuxta id, quod habetur, *cap. Si dominus. Et cap. Iulianus. ut. q. 3. Hac colliguntur ex l. Nefarius. ff. De negotijs gestis*.

Tertio queritur, Quibus obligationibus mandatori mandatarium teneatur? Respondeo, in primis debere mandatarium diligenter mandati fines obseruare, ne eos transliat. *l. Diligenter. ff. Mandati. Et Insitit. De mandato. §. Is qui.* Quare si mandator de re mandatam dederit, ita ut nihil expresserit, eo ipso mandatarij, siue procuratoris fidei negotia commisit. Veluti, si mandatero tibi, ut mihi librum emas, nec expresse certum pretium, valet emptio, quocumque pretio sit facta, dummodo iusto. *l. Prætor. C. Mandati*: nam id actum esse videtur, ut iusto pretio, videlicet boni viri arbitratu, mihi librum emeret. Item si tibi mandauero, ut mihi librum emas quinquæ aureis, intelligitur, nè plures emeret, posses tamen minoris mercari: non igitur reliquum potes tibi sumere: si mandauero, ut vendas librum meum tribus aureis, & tu vendidisti quinque, debes mihi restituere duos aureos: nam mandatum meum intelligitur, nè minoris venderes; posses tamen plurius vendere.

Quid si tibi mandauerim, ut certum librum sex aureis emeret mihi, tu vero emisisti tantidem, aut minoris alium librum æque mihi vilem, & commodum? In *l. Diligenter, supra citata* habetur, mandatum huiusmodi non esse impletum: Cuius legis verba sunt: [Si mandauero tibi, ut domum Seianam centum emeret, tuque Titianam emeris longè maioris pretij, centum tamen, aut etiam minoris, non videris implese mandatum. Item, si mandauero tibi, ut suadum meum centum venderes, tuque eum nonaginta vendideris, & petam fundum, nõ obstat mihi exceptio, nisi & reliquum, quod deest, mandato meo, præstes, & indemnem me per omnia conferues. Seruo quoque si præceperit Dominus certa summa rem vendere, & ille minoris vendiderit; similiter eam vindicare Dominus potest, nec vlla exceptione submoueri, nisi indemnitas ei præstetur.] Sic ibi.

Quid si is, qui mandatum suscepit, meliorem causam mandatori reddiderit? In *eadem lege Diligenter, vers. Melior autem*, dicitur: [Melior autem causa mandantis fieri potest, puta, si cum tibi mandassem, ut Stichum decem emeret, tu eum minoris, vel tantidem, ut aliud quidquam seruo accederet, utroque enim casu, aut non ultra pretium, aut infra pretium fecisti.] Hactenus lex.

Apud Gellium *lib. 1. cap. 13.* questio tractatur, quidnam foret in suscepto mandato reclusus, idne omnino faceret,

quod mandatum est: an nonnunquam etiam contra; si id speret, ei, qui mandauit, vtilius fore. [In officijs, inquit Gellius, capiendis, censendis, iudicandisque, quæ Græcè *επιτροπὴ*, Philosophi appellant, quæri solet, an negotio tibi dato, & quidquid omnino faceres, definito, contra quid facere debeas, si eo facto videri possit res euentura prosperius, exque vtilitate eius, qui id tibi negotium mandauit. Anceps questio, & in utramque partem a prudentibus viris arbitrata est.]

Sunt enim non pauci, qui sententiam suam vna in parte defixerint, & se semel statuta, deliberata que ab eo, cuius negotium id potissimum esset, nequaquam putauerint contra dictum eius esse faciendum, etiamsi repentinus aliquis casus rem commodius agi posse polliceretur: ne si spes secessisset, culpa impatientie, & pœna indeprecabilis subeunda esset. Si res forte melius vertisset, dijs quidem gratia habenda: sed exemplum tamen intromissum videretur: quo bene consulta consilia religione mandati soluta corrumperetur.

Alij existimauerunt incommoda prius, quæ metuenda essent, si res gesta aliter fieret, quàm imperatum est, cum emolumento spei pensanda esse. Et si ea leuiora minoraque, vtilitas autem contra grauior, & amplior, spe quantum potest firma ostenderetur: tum posse aduersum mandata fieri, censuerunt: ne oblata diuinitus rei bene gerendæ occasio amitteretur.

Neque timendum exemplum non parendi tradiderunt, si rationes huiuscemodi duntaxat non adessent. Cum primis autem respiciendum putauerunt ingenium, naturamque illius, cuius ea res præceptumque esset: ne ferox, durus, idomitus, inexorabilisque sit: qualia fuerunt Posthumiana imperia, & Manliana. Nam si tali præceptori ratio reddenda sit, nihil faciendum esse monuerunt aliter quàm præceptum est.

Instructius deliberatiusque fore arbitramur theorematium hoc de mandatis huiuscemodi obsequendis, si exemplum quoque Publij Crassi Muriani, clari, ac inclyti viri apposerimus. Is Crassus à Sempronio Asellione, & plerisque alijs historicæ Romanæ Scriptoribus traditur, quinque habuisse rerum bonarum maxima, & præcipua, quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod Iuriconsultissimus, quod Pont. Max. Is cum in Consulatu obtineret Asiæ prouinciam, & circumfedere, oppugnareque Leucas oppidum pararet, opusque esset firma, ac procerata trabe, qua arietem faceret, quo muros eius oppidi quateret: scripsit ad magistrum *ἀσπιον*, molis Atheniensium sociorum, amicorumque populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidisset, vter maior esset, eum mittendum curaret. Tum magister *ἀσπιον*, comperto, quam ob rem malum desideraret, non, ut iustus erat, maiorem, sed quem esse magis idoneum aptior emque: faciendo arietem, facilioremque portatu existimabat, maiorem misit. Crassus eum vocari iussit, & cum interrogasset, cur nõ quem iusserat misisset, causis rationibusque quas dictabat, spreto, vestimenta detrahi imperauit, virgisque multum cæcidi: Corrupti atque dissolui officium omne imperantis ratus, si quis ad id quod facere iustus est, non obsequio debito, sed consilio non considerato respondeat.] Sic ibi.

Meo quidem iudicio nimirum seuerè, & durè, veterum more Romanorum in illum magistrum egit ille Publius Crassus.

Quarto queritur, An si mandatarius excesserit mandati fines, ratum sit, & firmum quod facit? Respondeo, minime, quia is qui mandati fines egreditur, aliud agere videtur. *l. Diligenter. ff. Mandati*: & hoc locum habet non solum quando facit contra præscriptam mandati formulam, sed etiam quando facit præter, aut citra eam: ut insinuat Glossa in *cap. Si cui, de electionibus in Sexto. Et cap. Prudentiam de officio iudicis delegati*. Panormitanus in *cap. vlt. de restitut. spoliat*. Hinc est, ut si quis absoluat aliquem mandato alterius, & mandati formulam non seruet, irrita sit absolutio.

Nequit itidem, qui mandatum suscipit, officium deserere. *l. Si quis alicui. §. Qui suscepit. ff. Mandati*, nisi iustus de causis ab officio recedat: ut si capitales inimicitiae inter ipsam, & mandatorem interueniant, vel si dignitatem aliquam fuerit, vel Reipublicae causa abfuturus sit. *l. Filiusfamilias. §. vlt. ff. De Procuratorib.* aut si aegritudinem, vel necessarium peregrinationem alleger. Aut si valetudinem *ff. eod. tit.* vel si hereditas superueniens eum occupet. *l. Vel hereditas. ff. eod. tit.* vel si in vinculis, aut praedonum, vel hostium potestate detentus sit. Item si suspectus mandatori esse coeperit. *l. Item si suspectus. ff. eod. tit.* vel si publico iudicio, priuatione, vel maiore sua re distringatur, vel exilio, vel si ob metum latitet, vel si religionem fuerit ingressus. *l. Vel iudicio. §. l. Vel exilio. §. l. Aut religionis. ff. eod. tit. & cap. Quamuis procurator, de procur. in sexto: vel si in alia simili causa impeditus sit. l. Aut longa. ff. eod. tit.*

Insuper mandatarius debet restituere omne emolumentum, quod ex mandato suscepit, & pecunia mandatoris, si quam habeat, & usuras ex mora, & ab alio acceptas. *l. Item que. §. Si procurator. l. Ex mandato. Et l. Si vero. §. Similibi mandaueris. vers. Dedit tibi. §. l. Qui negotia. ff. Mandati.*

Præterea veteres illi Iurisperiti adeo seueri fuerunt aduersus eos, qui rem mandatam receperunt, ut infames definiunt eos, qui mandatum susceptum, etiam in rebus priuatis, & minimis dolo, aut culpa sua, & negligentia deserant. *l. i. vers. Qui pro socio. §. l. Furti. §. Mandati. ff. De iis qui notantur infamia.* Vnde quidam huiusmodi penam grauem nimis, & duram putauerunt. Sed Cicero in *Oratione pro Sex. Roscio Amer.* de iudicio mandati sic scripsit: [In priuatis rebus si quis rem mandatam non modo malitiosius gessisset sui quæstus, aut commodi causa, verum etiam negligentius, eum maiores summum admisisse dedecus existimabant. Itaque mandati constitutum est iudicium, non minus turpe, quam furti: credo propterea, quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his opere nostræ vicario fides amicorum supponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium commune præsidium, & quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem. Non enim possumus omnia per nos agere; alius in alia est re magis vilis. Idcirco amicitia comparantur, ut commune commodum mutuis officijs gubernetur. Quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conuersurus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officijs & obliis? recede de medio, per alium transigam. Suscipis onus officij, quod te putas sustinere posse: quod minimè videtur graue ijs, qui minimè ipsi leues sunt. Ergo idcirco turpis hæc culpa est, quod res sanctissimas violat, amicitiam, & fidem. Nam neque mandat quisquæ feret, nisi amico: neque credit, nisi ei, quem fidelem putat. perditissimi est igitur hominis, simul & amicitiam dissoluere, & fallere eum, qui laesus non fuisset, nisi credidisset. Itane est? In minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnentur necesse est: in re tanta cum is, cui fama mortui, fortunæ viui commendata sunt atque cõcreditæ, ignominia mortuum affecerit, is inter honestos homines, atque adeo inter viuos numerabitur? In minimis priuatisque rebus etiam negligentia in erimen mandati, iudicijque infamiam reuocatur, propterea quod si rectè fiat, illum negligere oporteat, qui mandat, non illum, qui mandatum receperit.] Hactenus Cicero, qui seuerum mandati iudicium iure optimo defendit.

Quinto quaeritur, Quo modo mandatum interpretari nos debeamus? Respondemus, in mandato interpretando quædam esse spectanda, & obseruanda. Primo, mandatum secundum, siue postremum non derogat primo, nisi fecerit de eo mentionem. *cap. Graue, de officio iud. ordinarij.* Aliquando tamen secundum valet, non primum mandatum, nimirum, quia secundum arctioris est vinculi, velut, si primum pertinet ad priuatũ commodum, secundum ad communem utilitatem. *Abbas in cap. Exposuit nobis. 16. de dilationib. & cap. Inter virum de sponsal.*

Secundo, Mandatum si generale sit, solum prohibet, quæ licita non sunt, *cap. Super quibusdam de verb. signif.* Vnde mandatum de aliquo eligendo, intelligitur datum esse de eligendo idoneo. *cap. Causam qua, de elect.*

Tertio, Mandatum speciale derogat generali, etiam si eius nihil meminerit. *cap. Pastoralis de rescript.* nisi generale mandatum in speciale transferat. *cap. Ex parte, de esse iud. deleg.* nisi generale mandatum priuilegia contineat, *cap. Cum ordinem, de rescript.* & nisi res mutata sit, ita ut integra non sit, aut mandatum ad legata pertineat. *l. Instruunt, ff. de Supellectilib. legata.*

Quarto, Mandatum sub aliqua conditione, vel modo datum, duo mandata continet: ut si tibi mandauero, ut ad Kalendas Ianuarias proximè futuras Titio creditori meo soluas, duo mandata sunt; vnum, ut Kalendis proximis Ianuarijs soluas; alterum, ut si tunc temporis non solueris, soluas quamprimum, *ut colligitur ex cap. Cum dilecti, de dolo. & contumacia. & ex l. Celsus. ff. De recep. arbitri.*

Quinto, Panormitanus inquit, in *cap. Pisanis, num. 6. de rescript. spoliat.* [Mandatum qualificatum distribuitur in duo mandata: Est non potest impleri in modo, seu qualitate. Item si duo mandatorum etiam data certa forma, licet non possit simul impleri, debet tamen fieri, quod potest, & valebit actus.] Sic ille.

Sexto, Mandato generali comprehenduntur, quæ ad substantiam, vel naturam mandati pertinent. *Abbas in cap. i. num. 28. ut lite non contestata.*

Septimo, Mandatum non solum continet, quæ expressa sunt, sed etiam quæ coniuncta mandato sunt, veluti ea, siue quibus ad mandatum peruenire non possumus, aut sine quibus mandatum ad effectum perducere non potest. Glossa in *cap. In causis de elect.* Vnde Panormitanus ibi contra Hostiensem: si datur potestas eligendi, data censetur potestas postulandi. Sic etiam Glossa in *cap. i. De postul. Pralat. & cap. Nullus dist. 16. & prohibito matrimonio, sponsalia quoque prohibita videntur. Abbas in cap. In causis, modo citata:* Prohibita venditione rei, nequit res illa in pignori dari, quia ex pignore facile venitur ad venditionem pignoris. *l. Quorum. ff. De pignorib.*

Sexto quaeritur, Quibus obligationibus mandator mandatario teneatur? Respondeo, mandatum, vel ad lites, siue iudicia, vel ad negotia gerenda datum esse. Si mandatum quis dederit ad lites, siue iudicia, post litem, siue iudicium inceptum, hoc est, post litem contestatam, siue post citationem iudicis auctoritate factam, nequit procuratorem mutare, nisi ipse procurator consentiat. *l. Post litem. ff. De procurat. & l. Et quia. ff. De iurisf. omnium iudicium. & cap. Quamuis, de procur. in 6. nisi cognouerit procuratorem sibi inimicum effectum, aut suspectum, vel aduersario a finitate coniunctum, vel eius heredem institutum, vel religionem ingressum, aut longam peregrinationem suscepisse, vel aegritudinem, vel exilio, vel vinculis detentum, vel alia simili causa impeditum. cap. Quamuis modo citato. & l. Si filiusfamilias, & sequentibus. vsq. ad l. Sed ex his. ff. De procurat. Si ad negotia quis dederit mandatum, non potest reuocare, postquam res mandata geri cepit, hoc est, cum cepit interesse eius, qui mandauit, *l. Si procuratorem. §. Mandati, nisi mandati reuocandi causa iusta sublit, ut ante dixi.* Secundo, cum quis mandatum, siue negotium dederit contemplatione mandatarij, reuocare non potest.*

Instit. De mandato. §.

Reste.

Quando, & quo modo Mandatum fini-
tur, & soluitur.

CAPVT VII

MANDATVM certis quibusdam modis finitur. In-
f. de Mand. §. Reuoc.

Primò mandatum extinguitur, quia reuocatur, si negotium, siue mandatum dedit. *l. Si procuratorem. §. Mandati. ff. Mandati.* Si quæras, An liberum sit mandatori reuocare mandatum? Liberum est omnino ante litem contestatam, & ante iudicium, vel negotium inceptum. *l. Ante litem. ff. de Procurat.* At post litem contestatam, vel iudicium, aut negotium inceptum, non est liberum, nisi ex causa iusta, & prius cognita. *l. Post litem. ff. de Procur. v. in capite. Superiori diximus. Bart. in l. Cum precario. ff. de Precario.*

Quid si mandator irauerit se nunquam mandatum reuocaturum, si deinde reuocet, et tunc firma, & rata reuocatio? Respondeo eam ratam esse, & firmam, quia mandatum intelligitur sub ea conditione datum esse. *Bart. in l. cum precario. modo cit.* At verò peritior est, qui reuocatur, quoniam iniurandum violat. *Glo. in c. ult. de Procur. in 6. in verb. Reuocatur. Dec. cons. 251. n. 2.*

Quid si mandatarius mandatum suscipiat eo pacto, vt nunquam mandator reuocet mandatum? Respondeo cum *Bart. in l. Cum precario. ff. de Precario,* non valere pactum, quia est contra substantiam, & rationem mandati, quod est sua natura reuocabile.

Dubia quæstionis est, Quandonam possit mādator procuratorem reuocare, siue mandatarium mutare? Conuenit inter omnes, posse mutare, quamdiu res est integra, hoc est quamdiu res mandata geri cepta non est, nec cepit interesse eius, qui mandatum dedit, siue procuratorem constituit. *ex l. Si procuratorem. §. Mandati. ff. Mandati. & ex l. Et quia. ff. de Iurisd. omn. iud. & ex cap. Licet. de Off. iudic. deleg.*

Quæres. Quando res mandata integra censetur? Respondeo, si mandatum datur ad negotia gerenda, tunc res integra est, quando negotium nondum agi cepit, vt puta, si mādator tibi, vt mihi rem emas, & tu arbas in partem pretij dederis, vel te aliquo modo venditori obligaueris, res integra non est. *Glo. in l. de Mandato. §. Reuoc. in verbo. Item si adhuc integro.*

Ceterum in dubitatione vocatur, si procurator fuerit datus ad lites, siue iudicia, quando lites, siue iudicium inceptum censetur? Quidam putauerunt aliud esse dicendum in hac parte secundum leges, aliud secundum canones. Secundum leges quidem censuerunt mandatum esse inceptum post litem contestatam: quia id colligi videtur *ex l. Ante litem. & l. Post litem. ff. de Procur. & l. Procuratorib. & l. Nulla dubitatio. C. de Procur. in quibus locis habetur: Ante litem contestatam liberum esse domino procuratorem mutare: post litem verò contestatam non posse, nisi ex causa prius cognita. Item procuratorem effectum esse dominum litis post ipsam litem contestatam, siue post causam in iudicio agitaram. Secundum canones verò, iudicium & litem esse inchoatam post citationem, iudicium auctoritate factam. *c. Gratum. de Off. iud. deleg. & c. ult. de Off. legati. & c. Proposisti. de For. comp. Porro teste Panorm. in c. Relatum. de Off. iud. deleg. Martinus quidam antiquus iuris civilis interpres, existimauit canones à legibus non differre, & ita, siue secundum leges, siue secundum canones, litem inchoatam censeri post citatum in iudicium aduersarium. Azo verò sensit, siue secundum canones, siue secundum leges, iudicium inceptum non esse, nisi post litē intentatam, & motā, siue post litē contestatam: quoniam post citationem adhuc aduersarius potest exceptiones opponere, & iudicem recusare: & quia sic habetur, aribatille in c. Relatum. de Off. iud. deleg. & Clem. ult. de Procur. & in l. Procuratorib. & l. Nulla. C. de Procur. Hoffman. in c. Licet. de Off. iud. deleg. censuit sufficere, si iudex de-**

legatus tabellionem eligat, & testes vocet: quia in c. Licet. de Off. iud. deleg. & in l. Et quia. ff. de Iurisd. omn. iud. solum habetur, iudicium inceptum esse, si iudex facere officium suum ceperit: si tabellionem nominet, & eligat, & vocet testes, incipit suum iudicium implere. Idem sentit *Glo. in cap. Si à subdelegato. in verb. Processum. de Off. deleg. in 6. vbi dicit, inchoatum esse iudicium, si iudex deleg. alteri vices suas commiserit: quia delegare est iurisdictionis functio: ergo tunc suā iurisdictione vti incipit. Sed reuera, vt dicit Panorm. loco cit. tum secundum leges, tum secundum canones lites pro incepta habetur post citationem officio iudicis factam: tunc enim iudicium est inchoatum: nam citatio est principium, & fundamentum actionum, in iudicio institue-
datum, vt dicitur *Instit. de Pona temere litigantium, in §. Omnium.* Sufficit ergo & requiritur citatio: tunc enim etiam ante litem contestatam, inchoatum iudicium censetur, & non ante citationem. Sic Abbas loco cit. vt etiam Archid. in c. Non ita. 2. qu. 6. & in c. Quamuis, de Procur. in 6. Ioan. Monach. in c. Vt animarum, de Const. in 6. & Calder. in cap. Licet. de Off. deleg.*

Dubium est, An quod agit procurator, siue mandatarius post reuocationem à Domino, siue mandatore factā, sed nondum ipsi procuratori notam, sit ratum, & firmum? Consentunt omnes cum *Glo. in Clem. c. de Renunc. in verb. Quomodolibet,* valere, quod actum est à procuratore siue mandatario bonā fide, ignorante reuocationem mandati, donec reuocatio sit ei nota, & denunciata. *l. Si mandati. ff. Mandati. & Inst. de Mandato. §. Reuoc.* Vnde abdicatio, siue renunciatio dignitatis, siue beneficii Ecclesiastici facta per procuratorem ad id institutum valet, tamen si mandatum procuratori datum, fuerit prius reuocatum, si ipse procurator, vel superior, apud quem facta est renunciatio, ignorauerit reuocationem. *Clem. c. de Renunc. Quamuis* in certis quibusdam causis non habeat, quod gerit procurator, postquam est submotus, & reuocatus à Domino, etiam si bonā fide ignoret reuocationem, vt si sit procurator datus ad matrimonium contrahendum, vt habetur in cap. Procurator. de Procur. in 6. Item in l. Si pater, ff. de Manumiss. vindicta, sic dicitur: Sin autem ignorante filio veruisset pater per nuncium (videlicet seruū manumittere, quod antea mandauerat filio manumittere) & antequam filius certior fieret, seruū manumisset, liber nō fit: Nam, vt filio manumittente, seruus ad libertatem pertinet, durare oportet patris voluntatem: nam si mutata fuerit, non erit verum, volente patre, filium manumissile. Et in l. Si pantiuit. ff. De diuort. decretum erat apud veteres Romanos, vt si vxori libellum repudij per nuncium misisset, & antequam vxori traderetur, vir voluntatem mutasset, & postea id ignorans nuncius libellū repudij vxori tradidisset, matrimonium duraret.

In dubium tamen vertitur, Quid dicendum sit, quando mandatum est ad lites, siue iudicia, an tunc satis etiam sit, si reuocatio mandati à domino facta, procuratori innotescat, siue denunciatur? De hac quæstione *Glo. in cap. Mandatum. de Procur. in verb. Reuocato.* Ex eo cap. manifestè constat, mandatum, quod fuerat datum procuratori post litem contestatam à domino, reuocato, si hoc ignorante iudice, vel aduersario factum fuerit, iudicium, quod idem quasi procurator postmodum expertus est, ratum esse debere: ergo rectè colligit *Glo. non sufficere, si reuocatio mandati procuratori innotescat, sed necesse esse, vt aduersario, vel iudici denunciatur; quia quemadmodum cum procuratori mandatum datur, non solum ipsi, sed aduersario, vel iudici denunciatur, sic etiam cum procuratoris mandatum reuocetur, non solum ipse procurator certior fieri debet, sed etiam aduersarius, vel iudex.*

Secundò, mandatum tacite finitur morte mandatoris, si res adhuc sit integra. *l. Inter causas. ff. Mandati. & l. Et quia. ff. de Iurisd. omn. iud. & l. ult. ff. de Solut. Morte itidem mandatarij soluitur mandatum. l. Si quis alicui. §. Morte. ff. Mandati. & Inst. de Mandato. §. Reuoc.* Et quando obitu mandatarij finitur, & desinit, hoc locum habet, etiam si mandata-

rius probabiliter, ac bonâ fide ignoret, vt ex iis legibus constat, quas paulô ante protulimus. Vnde morte mandatoris finitur iurisdicção demandata. *c. Gratium. de Offic. iud. deleg. c. l. Et quia. ff. de iur. iudic. omni. iud.* Ac propterea Episcopo vita functo, cessat Vicarij iurisdicção. *Gloss. in Clement. Procuratorem. de Procur. in 6. in verb. Contestata.* sic etiam decedente Prælato, qui compromisit de rebus Ecclesie, inquit *Gloss. ibidem*, finitur compromissum. eunt *Glossa* in vtraque parte sentiunt Innocen. Hostien. Io. Andr. *in c. Tua nobis de Off. Vicarij.*

Sunt autem mandata quedam, quæ etiam durant post obitum mandatoris. Primò, si quid mandatum sit in rem, & gratiam mandatarij. *l. Si cum fundum. ff. de Pact.*

Secundò, si mandatum contineat aliquid, quod omnino post mortem mandatoris ad effectum perducatur. *l. Si verò. ff. de Mandati. vbi dicitur:* [Idem Marcellus scribit: Si, vt post mortem sibi monumentum fieret, quis mandauit; hæres eius poterit mandati agere, vt perficiatur.] Et in *l. proximè sequenti*, [Idem est, etsi mandati tibi, vt post mortem meam, hæredibus meis emeret fundum.]

Tertiò, gratiæ, & fauore dotis. *l. Si ego. ff. de iur. dot. vers. Si res alicui tradidero.* vbi Iunconul. Vlpianus concludit: [Sed benignius est fauore dotium necessitatem imponi hæredi consentire ei, quod defunctus fecit: Aut si distulerit, vel abstulit, etiam nolente, vel absente eo, dominium ad maritum ipso iure transferri, ne mulier indotata maneat.] Hæc ibi.

Quartò, gratia libertatis. Vnde in *l. Si pater. ff. de Manumiss. vindi.* [Si pater filio permiserit seruum manumittere, & interim decesserit intestato, deinde filius ignorans patrem suum mortuum, libertatem imposuerit, libertas seruo fauore libertatis cõtingit, etiam non appareat mutata esse domini voluntatem.]

Quintò, causa liberandi debitorem, si debitores, manumisso seruo dispensatore Titij, per ignorantiam liberti soluerint, liberantur. hoc est: Si seruus mandatum habuit à domino exigendi, & recipiendi pecuniam creditam à debitoribus, liberi sunt debitores, si soluerint post manumissionem ipsius, vel post mortem domini, bonâ fide ignoratam. *l. Eius qui. ff. de Reb. cred. c. l. Si quis seruo. ff. de Solut. c. Instituta de Mandato. §. Reñd.*

Sextò, sacrum officium Inquisitorum, quamuis sit à Romano Pontifice demandatum, non extinguitur ipsius Romani Pontificis obitu: & hoc, gratia religionis, & fidei. *c. Ne aliqui, de hæret. in 6.*

Septimò, potestas delegata à Romano Pontifice alicui ad exequendum mandatum, ipsius Romani Pontificis auctoritate antea datum gratia alicuius. *c. Si super gratia, de Offic. iud. deleg.*

Octauò, Potestas Legati à latere Summi Pontificis missi ad aliquam prouinciam, non finitur morte Romani Pontificis, qui mittit. *c. Legatus, de Off. leg. in 6.*

Nonò, quando delegata est potestas alicui, sub nomine dumtaxat dignitatis, quâ habet, & nõ sub nomine proprio, non soluitur morte Principis, qui delegauit. *cap. Si gratiose, de Rescript. in sexto.* quia persona extinguitur, non dignitas.

Decimò, quando Princeps, qui iurisdictionem demandat, dicit se demandare, donec reuocauerit, non finitur ea potestas morte eius, si voluntatem non mutauit, antequam

decederet. *cap. Si delegatus, de offic. iud. delegat. in 6.*

Vndecimò, non soluitur mandatum morte mandatoris, p̄ causâ gratiæ. *Rom. cons. 119.* nec potest ab hærede reuocari. *Couar. lib. 1. var. resol. c. 1. q. n. 16.*

Duodecimò, in *l. Ambiguitatem. vers. Sin autem. C. de Vsufruct.* habetur: Sin autem adhuc is in favore constitutus decesserit; tunc quasi in usufructuarij vitam, eo relicto, manere usufructum apud eum: cum enim possibile erat vsque ad omne vitæ tempus usufructuarij, non ad suam mentem venire futentem, vel conditionem impleri, humanissimum est, ad vitam eorum usufructum extendi. Age ea lex de eo, qui usufructum mandauerat alicui, donec filius eius in favore perfructus: ac ita decreuit lex usufructum demandatum non finiri morte filij in favore decedentis.

Mandatum tertio finitur, si rem demandatam quis alius idonee p̄cessit. *l. Si procuratorem. §. Mandati. ff. Mandati.* vbi hæc verba sunt: [Mandati tibi, vt fundum emeret; ceterum si eundem hunc fundum, ego ipse emi, vel alius mihi, neque interest aliquid, cessat mandati actio.]

Quartò, mandatum soluitur finitâ, & completâ die, ad quam fuerat mandatum constitutum: nam etiam per iudicem prorogetur, procurator non potest amplius agere. *l. Qui mutuum. §. Non ideo. ff. Mandati. cap. cum olim. de Off. iud. deleg. c. Si quem, de Procur. cap. Significauit, de appellat.*

Quintò, extinguitur mandatum mutatione status in deteriori. *l. Si cum et. c. l. Citem quis. ff. de Solut.*

Sextò, finitur, & soluitur mandatum furore mandatoris. *l. Qui seruum. ff. de Acquir. her. vbi sic habetur:* [Qui seruum suum heredem institutum adire iusserat, prius quam ille adiret, furiosus est factus; negauit tẽdẽ seruum aditum, quoniam non nisi hereditate domini acquiri hereditas potest: furiosi autem voluntas nulla est.] Et in *l. Si quis alicui mandauerit. ff. eod. tit.* [Si quis (inquit) alicui mandauerit, vt si restitauerit, peteret sibi bonorum possessionem, & postea quã ille petiit, furere cõperit, nihilominus acquisita est ei bonorum possessio. Quod si antequam ille petat, is qui mandauit petendam, furere cõperit; dicendum est nõ statim ei acquisitam bonorum possessionem.]

Quæ actiones ex mandato oriuntur.

CAPVT VIII.

DVÆ actiones ex mandato descendunt, vna quæ dicitur directa, & conuenit Mandatori, aduersus eum, qui mandatum suscepit, & nõ impleuit, vel dolo, aut culpâ, & negligentia exequutus est, & damno mandatorem affecit. *l. Si mandauero. §. vlt. c. l. Inter causas. §. Suscepit. c. l. Præterea. §. Si procuratorem. ff. Mandati.* Cõuenit nem hæc actio mandatori contra mandatarium, qui mandati fines excessit. *l. Diligenter. ff. Mandati.*

Alterâ actio dicitur contraria, quæ ei, qui recepit mandatum, conuenit aduersus eum, qui dedit: nam si mandatum perfectius habet petendâ impensas, quas necessariò, vel utiliter fecit, gratia mandati. *l. Idem. §. Idem Labio. c. l. Si vero. §. vlt. ff. Mandati.*

FINIS LIBRI NONI.